

DE PAROCHIS

SUMMARIUM: I. Parochus pastor communitalis paroecialis per munera docendi, sanctificandi et regendi, cum cooperatione christifidelium, in relatione cum episcopo dioecesano. II. Minister verbi Dei, opera christifidelium sibi associata, praesertim per homiliam dominicalem et festorum, per catechesim, per educationem catholicam. III. Minister sacrae liturgiae, per celebrationem imprimis Eucharistiae et sacramentorum, orationem etiam in familiis, moderationem et vigilantiam super liturgiam. IV. Minister caritatis pastoralis, consulendo fidelibus, curando aegrotos, sollicitus erga pauperes, visitans et sustinens familias. V. Minister communionis ecclesialis, agnoscendo et promovendo activitatem propriam laicorum, favendo eorum consociationibus, cooperando cum episcopo et presbyterio, promovendo in christifidelibus spiritum communionis ecclesialis. VI. Orans pro populo, specialiter in Missa pro populo applicata diebus dominicis et festis.

Thema in titulo indicatum ita evolvi potest: quis est parochus et quae sunt parochi attributiones, quae sunt, aliis verbis, parochi activitates, cum conexas potestatibus, obligationibus et iuribus?

Codex pluribus in locis de hoc themate agit. Relate, vero, ad Librum II, Partem II, Caput VI, praesertim in can. 515; 519; 528-530; 532-537¹.

¹ Cf. *Communicationes* 17 (1985) 95-97; 18 (1986) 69-71; 101; 8 (1976) 23-31; 9 (1977) 257; 13 (1981) 146-151; 271-286; *Schema Codicis Iuris Canonici 1980*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1980 (*Schema 1980*), can. 454-458; 465; 467-469; 471-476; *Communicationes* 14 (1982) 123; 221-226.

Quoad Auctores, cf. possunt, praeter Commentaria: C. BONICELLI, *Il parroco*, in *Orientamenti Pastoralis* 12 (1983) 53-68; V. DE PAOLIS, *Il parroco religioso*, *ibid.*, 69-75; D. BERNARD, *Les*

Relate ad alios Codicis locos, praesertim in can. 89; 233; 757; 767, § 4; 770-771; 776-777; 847, § 2; 851, § 2; 855; 858, § 2; 861; 867; 874; 877-878; 883, 3º; 890; 895-896; 911; 914; 922; 958, § 1; 968, § 1; 1043; 1054; 1067; 1069-1070; 1079, § 2; 1081; 1105, § 2; 1106; 1108-1111; 1114-1115; 1118; 1121-1123; 1177, § 2; 1196; 1245; 1307; 1706. Insuper conferri debent loci in quibus agitur non directe de parochia, verum de quaestionibus quae etiam ad parochum attinent, sicut, verbi gratia, normae de bonorum administratione.

Codicis indicationes in pluribus quaestionibus dividi possunt, quae sunt: I) parochus pastor communitalis paroecialis (can. 519); II) parochus minister verbi Dei (can. 528, § 1); III) parochus minister sacrae liturgiae (can. 528, § 2); IV) parochus minister caritatis pastoralis (can. 529, § 1); V) parochus minister communionis ecclesialis (can. 529, § 2); VI) parochus orans Deum pro populo sibi commissio (de Missa pro populo) (can. 534).

I) *Parochus pastor communitalis paroecialis* (can. 519).

«Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastoralis communitalis sibi concredita fungens sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro eadem communitate munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque operam conferentibus christifidelibus laicis, ad normam iuris» (can. 519)².

curés et vicaires paroissiaux, in *Esprit et vie* 96 (1986) 257-262; ID., *Les conseils dans la paroisse*, *ibid.*, 95 (1985) 593-600; D. MOGAVERO, *Il parroco e i suoi collaboratori*, in AA.VV., *La parrocchia*, Bologna (Dehoniane), 1987, 119-146; A. BORRAS, *La notion de curé dans le code de droit canonique*, in *Revue de Droit Canonique* 37 (1987) 215-236.

² Cf. *Communicationes* 17 (1985) 95-97; 18 (1986) 69-71; 101; 8 (1976) 23-31, 9 (1977) 257; 13 (1981) 146-150; *Schema* 1980 can. 454-458; 465; *Communicationes* 14 (1982) 221-222.

Ex citato textu duae quaestiones praecipuae eruuntur: 1) qualificatio parochi: pastor proprius cura pastoralis paroeciae fungens per munera docendi, sanctificandi et regendi cum cooperatione ceterorum christifidelium; 2) relatio parochi cum Episcopo dioecetano.

1) *Qualificatio parochi: pastor proprius cura pastoralis paroeciae fungens per munera docendi, sanctificandi et regendi cum cooperatione ceterorum christifidelium.*

«Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastoralis communis sibi concreditae fungens ... ut pro eadem communitate munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque operam conferentibus christifidelibus laicis, ad normam iuris».

Proinde parochus clare qualificatur sequentibus locutionibus: «pastor proprius», «cura pastoralis paroeciae fungens», «cum cooperatione ...», «operam conferentibus».

Termini et conceptus debent quidem profundius explicari. Et sunt: «pastor»; «cura pastoralis»; «cum cooperatione»; «operam conferentibus».

a) Iuvat, ante omnia, *referre alios textus* in quibus apparent verba: «pastor» et «cura pastoralis». En aliquem conspectum: «Paroecia... communitas christifidelium..., cuius cura pastoralis... committitur parochi, qua proprio eiusdem pastori» (can. 515, § 1); «... quasi-paroecia... communitas christifidelium, sacerdoti uti pastori proprio commissa...» (can. 516, § 1); «... earundem pastoralis curae prospiciat» (can. 516, § 2); «... paroeciae aut diversarum simul paroec-

ciarum cura pastoralis committi potest pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege, ut eorundem unus curae pastoralis exercendae sit moderator...» (can. 517, § 1); «... participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concredendam esse diacono aliive personae sacerdotali caractere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem constituat aliquem qui... curam pastorem moderetur» (can. 517, § 2). Ita in can. 520, § 1; 527, § 1; 529, § 1; 536, § 1; 542, § 1; 543, § 1; 545, § 1. Alibi inveniuntur similes locutiones: cura paroecialis (cf. can. 524; 526, § 1); cura paroeciae (cf. can. 526, § 1; 534, § 2; 544); curanda paroecia (cf. can. 521, § 2); munus pastorale (cf. can. 539; 541, § 1; 544); ministerium pastorale (cf. can. 545, § 2; 551); ministerium paroeciale (cf. can. 548, § 2); regimen paroeciae (cf. can. 541, § 2).

b) Quid tunc significant: «pastor» et «cura pastoralis?» *Ex solis istis terminibus* nihil possumus eruere nisi *aliquid genericum*. Locutiones hoc significant: *procurare bonum supernaturale* communitatis et singulorum in ea.

Evidenter hoc genericum *paulo amplius specificatur*, si quidem recursum facimus ad illud quod ipse can. 519 de munere parochi exprimit: «ut pro eadem communitate munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi». Et ideo «pastor» est *qui actualat tria munera*; «cura pastoralis» consistit *in actuatione trium munerum*.

Quod, de cetero, dicitur etiam relate ad Episcopos qua Pastores: «Episcopi... in Ecclesia Pastores constituuntur, ut sint et ipsi doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes et gubernationis ministri» (can. 375, § 1; cf. § 2: «... cum munere sanctificandi munera quoque docendi et regendi...»).

Quae statuitio, sua vice, *pro parochis magis*

praecisatur in can. 528, § 1 (quoad munus docendi), 528, § 2 (quoad munus sanctificandi), 529 (quoad activitatem caritatis et promotionis communionis ecclesialis), 530 (quoad varias cultus functiones), et ita porro in aliis textibus.

c) Tamen candide confiteri debemus *claritatem* in nostra quaestione *adhuc longe inveniri* et hac de causa res *profundius indagari oportet*.

In limine notare iuvat: in sequenti nostra reflectione *pastor* significat *clericum* et *fideles* (vel *christifideles*) significat *laicos*.

Per varios gressus sermonem nostrum explicare liceat.

aa) «Pastor» et «cura pastoralis» potest quodammodo concipi, saltem primo visu, secundum hoc schema: in cura pastoralis pastor *confert* fidelibus bona salutis et fideles *accipiunt* a pastore haec bona.

Ex una parte, pastor *confert* fidelibus, in cura pastoralis, bona salutis. Ita pastor (secundum schema trium munerum) activitate docendi, veritates doctrinales proponit; activitate sanctificandi, sacramenta et sacramentalia administrat; activitate regendi, normas vitae statuit.

Ex parte sua, fideles *accipiunt* a pastore, in cura pastoralis, dicta bona salutis: veritates doctrinales audiunt atque illis adhaerent; sacramenta et sacramentalia recipiunt; normas vitae oboedientia prosequuntur.

Ex his quae supra diximus, *pastor* nobis apparet tamquam *activus*, eo sensu quod bona salutis *confert*; e contra, *christifideles* apparent tamquam *passivi*, eo sensu quod dicta bona *accipiunt*.

Certo certius, etiam fideles sunt *activi*, eo sensu quod *accipere* bona exigit quidem *activitatem*, sed *non* sunt *activi* eo sensu quod *non conferunt bona*, sed *solummodo accipiunt*.

Haec visio clavis verbis expressa inveniebatur in *Codice 1917*:

«*Laici ius habent recipiendi a clero... spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria*» (can. 682).

Eadem visio aliquomodo adumbratur in novo *Codice* hac formula:

«*Ius est christifidelibus ut ex spiritualibus Ecclesiae bonis, praesertim ex verbo Dei et sacramentis, adiumenta a sacris Pastoribus accipiant*» (can. 213).

bb) Dicta conceptio pastoris atque curae pastoralis *estne recta et probanda?*

Negari non potest actionem pastoris *consistere aliquando* in illo schemate: conferre - accipere. Si, ex. gr., parochus aliquem baptizat, sine dubio parochus illi personae confert baptismum et illa persona accipit baptismum. Simili modo in absolutione peccatorum, et ita porro.

Negari, tamen, minime potest: si hoc concipere-tur *quoad omnes relationes* pastorem inter et fideles, supra descripta visio minime esset recta et minime esset probanda.

Cur hoc? Simpliciter quia christifideles sunt non solummodo accipientes, verum *etiam conferentes*. Illi in Ecclesia habent etiam (et fortasse praesertim) *partem activam*.

Non est necessarium in memoriam revocare doctrinam fundamentalem de christifidelibus in missione Ecclesiae, prout haec continetur *in ipsa definitione christifidelium* (cf. can. 204 ss.).

Plurimi alii textus hanc doctrinam testantur.

Christifideles omnes partem activam habent quidem in *munere docendi* (cf. can. 211; 225, § 1; 229, §

1; 230, § 3; 759), et hoc in praedicatione (cf. can. 230, § 3; 766; 528, § 1: «... associata etiam sibi christifidelium opera, ut nuntius evangelicus... perveniat...»), in catechesi (cf. can. 773-774; 776; 778; 780; 785) et in aliis formis et cum aliis mediis in iure praevisis (cf. can. 781-833), usque ad docentiam scientiarum sacrarum (cf. can. 218; 229, § 3; 253).

Partem activam habent omnes in *munere sanctificandi* (cf., ex. gr., can. 214; 230; 835, § 4; 836; 840; 899, § 2; 1173-1174).

Partem aliquam activam christifideles habent omnes in *ipso munere regendi*, quia consilia Pastoribus offerunt (cf. can. 212, § 3; 228, § 2 et omnes coetus ad hoc statutos), quia possunt communitates regere in casibus necessitatis a iure praevisis (cf. can. 230, § 3; 517, § 2), quia possunt cooperari in exercitio potestatis regiminis (cfr. can. 129, § 2), quia possunt a Pastoribus assumi ad quaedam exercenda officia et munera (cf. can. 228, § 1; 482; 494)³.

Rapidus conspectus satis demonstrat christifideles esse non solum accipientes, verum *etiam conferentes* aliis fidelibus bona salutis.

His praesuppositis, *quomodo tunc concipiendus est pastor in sua cura pastoralis?* Nullum dubium: *pastor non potest omnia facere*, etiam illa quae possunt *ab aliis fidelibus fieri*. Cura pastoralis tunc consistit in adiuvandis fidelibus *ad charismata propria detegenda* ac in illis efformandis *ad partem propriam complendam* usquedum *unusquisque* in paroecia vere sit *activus*⁴.

³ In hoc sensu, cf. etiam cooperationem christifidelium in inveniendas normas vitae Ecclesiae quatenus consuetudines introducunt (cf. can. 23-28).

⁴ Cf. eximium textum Concilii: «Pastores enim sacri probe norunt quantum laici ad bonum totius Ecclesiae conferant. Sciunt

cc) Estne haec visio praesens in *novo Codice*, praecise in *textibus de paroecia*?

Quoad hos textus, si praescindimus ab illis in quibus inveniuntur locutiones «pastor», «cura pastoralis» et similes supra recensitae, quae per se sunt formales et nihil decisivum de quaestione dicunt, attentio nostra vertitur ad can. 519; 528-529, ubi elementa inveniuntur utilia.

In can. 519, expressio adest:

«... ut pro eadem communitate munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque operam conferentibus christifidelibus laicis, ad normam iuris».

Quoad presbyteros, Codex illis reservat can. 545-552 «De vicariis paroecialibus» (ad quorum commentarium remittimus). A diaconibus, vero, hic praescindimus. Relate, autem, ad christifideles laicos, citata expressio «operam conferentibus...» non plene satisfacit: «opera», enim, laicorum concipitur tamquam «propria» an tamquam «parochi?» Quia, si dicitur quod laici «operam conferunt», videretur quod ipsi conciperentur uti «adiuvantes» parochum seu «sustinentes» illum in activitate «parochi propria»⁵.

enim Pastores se a Christo non esse institutos, ut totam missionem salvificam Ecclesiae versus mundum in se solos suscipiant, sed praeclarum munus suum esse ita pascere fideles eorumque ministrationes et charismata ita recognoscere, ut cuncti suo modo ad commune opus unanimiter cooperentur» (*Lumen gentium* 30).

⁵ Notemus quod in *Schemate* 1977 expressio aderat: «... atque conferentibus etiam ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris», ubi illud «etiam ipsis» videbatur quidem magna concessio. In Coetu «De Populo Dei» diei 19 aprilis 1980, expressio deleta est, proponente quodam consultore (cf. *Communicationes* 13 [1981] 149-150). Alia ex parte, Coetus videbatur christifidelium

In can. 528, § 1, haec verba habemus:

«... omni ope satagat, associata etiam sibi christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur».

Agitur, proinde, de nuntiando Evangelio illis personis vel illis in locis pro quibus praesentia parochi magis difficilis est. In memoriam redit alia expressio: «... quae obligatio eo vel magis urget iis in adiunctis, in quibus nonnisi per ipsos (scilicet laicos) Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt» (can. 225, § 1). Tunc spontanee animadvertitur: dum hic textus claro modo exprimit activitatem laicorum propriam, quid autem dicendum de modo loquendi can. 528, § 1: «associata etiam sibi christifidelium opera»? Denuo facere debemus animadversiones iam expressas quoad textum can. 519. Ita in casu can. 776: «.. sociam sibi operam adhibeat... christifidelium laicorum, praesertim catechistarum...».

In can. 529, § 2, invenimus sequentem textum:

«Partem quam christifideles laici in missione Ecclesiae propriam habent, parochus agnoscat et promoveat, conso- ciationes eorundem ad fines religionis fovendo».

Et, hoc in loco, expressio plene convincit. Parochus, enim, apparet hic tamquam pastor, qui talis est,

operam limitare voluisse, quia in *Schemate* 1977 non agebatur de Consilio pastoralis et ita legimus: «Un Consultore, in base al suggerimento di un Organo consultivo, non è contrario di menzionare il Consiglio pastorale delle parrocchie, ma è necessario chiarire che il responsabile della parrocchia è solo il parroco per evitare abusi e confusioni». Ergo «il responsabile è solo il parroco» (*ibid.*, 149).

quia adiuvat fideles ad detegenda charismata propria et ad illa exercenda in vita paroeciae. Eius munus, proinde, est ita facere ut partem suam omnes compleant. Sed cur adiungitur: «... consociationes eorundem... fovendo»? Ita videtur quod laici partem propriam explicant potius in ambitu consociationum quam directe in paroecia etiam extra consociationes. Quicquid sit, saltem verba antecedentia plene convincunt et proinde optima iudicantur. Ita in casu can. 776, relate ad munus parentum: «Munus parentum, in catechesi familiari, de quo in can. 774, § 2, promoveat et foveat».

In can. 528, § 1, forsitan retinere possumus quod parochus apparet, quamvis modo valde implicito, subiectum fovens, ubi dicitur:

«Parochus obligatione tenetur providendi ut verbum Dei integre in paroecia degentibus annuntietur...».

Illud «providendi ut» significat quod parochus activa reddere potest, vel immo debet, etiam alia nuntii subiecta.

In can. 528, § 2, hoc legimus:

«Consulat parochus ut sanctissima Eucharistia centrum sit congregationis fidelium paroecialis; allaboret ut christifideles, per devotam sacramentorum celebrationem, pascantur...; annitatur item ut iidem... conscie et actuose partem habeant in sacra liturgia...».

Et, proinde, etiam hic videtur efferri pars propria quam laici habent in celebrationibus liturgicis peragendis.

In aliis Codicis locis, ubi, nempe, sermo est de Episcopo dioecesano, alios habemus textus, qui, revera, maximi sunt momenti:

«§ 1. *Varias apostolatus rationes in dioecesi foveat Episcopus, atque curet ut in universa dioecesi, vel in eiusdem particularibus districtibus, omnia apostolatus opera, servata uniuscuiusque propria indole, sub suo moderamine coordinentur.* § 2. *Urgeat officium, quo tenentur fideles ad apostolatum pro sua cuiusque condicione et aptitudine exercendum, atque ipsos hortetur ut varia opera apostolatus, secundum necessitates loci et temporis, participant et iuvent*» (can. 394).

Episcopus, proinde, foveat diversas formas apostolatus (idest activitatum ecclesialium) et fideles urget seu hortatur ut quisque illas impleat secundum propriam vocationem. Insuper dicitur quod Episcopus est moderator et coordinator operum horum christifidelium. In nostro textu non adhibetur verbum «pastor»; hoc, tamen, clare subintellegitur. Proinde Episcopus est pastor quia facit ut omnes suas partes adimpleant. Est conceptio sat profunda et vere probanda. Et eadem visio continetur etiam in aliis textibus:

«*Episcopus dioecesanus vocationes ad diversa ministeria... quam maxime foveat...*» (can. 385); «*Episcopus dioecesanus... omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium secundum uniuscuiusque propriam vocationem...*» (can. 387).

dd) Ad examen *redeamus canonum de paroecia ac de parochia* et conemur emittere *iudicium syntheticum*.

Si excipimus formulationem can. 529, § 2: «*Partem quam christifideles laici...*», affirmare debemus *optica[m] generalem* horum canonum esse potius in linea concipiendi *parochum* ut *unicum subiectum activum*, in sensu — uti diximus — fidelibus *conferendi* bona salutis et concipiendi proinde *fideles* ut subiecta *accipientia* bona salutis.

Rectius loquendo, certo certius *activitas laicorum non negatur*. Tamen *non effertur*. Sermo est *de parochia*, de quo statuitur quod haec et haec facere debet.

Laicis, e contra, *activitatibusque* eorum *nullus* canon, directe et exclusive, reservatus apparet. Quod *potuisset* fieri relate ad *plura* munera. *Aliqua* tantum *exempla* afferamus.

Quoad catechesim: cur Codex, explicite et effuse, non affirmat laicos in paroecia esse catechesis subiecta activa? Hoc de cetero — uti scimus — fit in can. 774; 776. Fuisset, tamen, magni momenti hoc affirmare quoad paroeciam.

Quoad opera caritatis nihil dicitur de laicis, saltem modo explicito (quod est valde mirum!). Sumamus, ex. gr., optimum contentum can. 529, § 1, ubi notare spontaneum est quod fere omnes hae activitates dici potuissent et debuissent esse propriae non solum parochi, verum etiam laicorum.

Quoad participationem in gubernio paroeciae et quoad assumptionem laicorum in quaedam officia et munera (cf. can. 228, § 1) omnino silet Codex. Etiam statutio de consilio pastoralis paroeciali non plene satisfacit: consilium per se non est obligatorium pro omnibus dioecesibus; *activitas laicorum* in consilio describitur verbis genericis («ad actionem pastorem fovendam suum adiutorium praestent»), dum clarissime praecisatur: «Consilium pastorale voto gaudet tantum consultivo...» (can. 536).

Exigentia proinde persentitur ut *etiam in canonibus de paroecia* efferatur *activitas laicorum*, ita ut *etiam laici* vere et efficaciter concipiantur ut *conferentes* salutis bona et *parochus* logice concipiatur ut ille qui *fovet et sustinet* talem actionem laicorum⁶.

⁶ *Exigentia* persentita est etiam a quodam Patre Commissio-

ee) Tamen solutio theoretica *non esset adhuc satisfaciens*. Ratio est quod, etiam in praedicta visione, parochus conciperetur ut agens *potius relate ad*

nis Pontificiae ante *Plenariam 1981*: «Codex servat nimis *structuram clericalem*, ut antea, dum in Concilio conatus factus est ut locus proprius definiretur Populi Dei. Ita communitas christiana princeps remanet paroecia, sub auctoritate parochi. Requiritur theologia subiacens Concilii. Locus proprius et munera christifidelium determinari debent, necnon locus proprius etiam mulierum in Ecclesia. R. Momentum paroeciae affirmatur in Concilio Vaticano II (Decr. *Christus Dominus*, n. 30). Non videtur doctrina quae in Codice habetur differre a doctrina conciliari (cf. praeterea resp. ad cann. 269-276)» (cf. *Communicationes* 14 [1982] 123). Pro nostro Patre, paroecia est... aliquid negativum praecise quia est structura clericalis, sub auctoritate parochi, dum efferri debet locus proprius laicorum. Responsio, dum defendit paroeciam, efferre vult locum laicorum et se refert ad canones, qui hodie sunt 224-231. Etiam notatum est ad textum can. 467, § 1 *Schematis 1980* (nunc can. 528, § 1):

«Addatur foveat munus diaconale Ecclesiae et fideles in officiis eorum socialibus adimplendis adiuvet, eosque exhortetur ut pro posse contribuant ad necessitates tum spirituales tum materiales leniendas». R. Additio non videtur necessaria, quia sufficiunt normae cann. 467 et 468» (cf. *Communicationes* 14 [1982] 224). Etiam alibi exigentia, aliquo modo, persentita fuisse videtur affirmandi locus fidelium proprius, dum, scilicet, in Coetu «De Populo Dei» diei 19 aprilis 1980 agebatur de can. 349, § 1 *Schematis 1977*: «Paroecia est certa... Populi Dei portio, cuius cura pastoralis... committitur parochi...». Ibi legimus: «Mons. Segretario... fa anche notare, riguardo al § 1, che, per essere giuridicamente precisi, sarebbe più corretto parlare di “*necessaria cura pastorale*”, perché si fa riferimento alla “cura ad normam iuris”. Infatti, la “cura animarum” parrocchiale non è “omnimoda”, ma limitata dai diritti e doveri stabiliti nel CIC. Al di fuori di queste attribuzioni e funzioni (cui corrispondono precisi diritti e doveri dei fedeli), non c'è altro che spetti in esclusiva al parroco: esistono infatti ambiti di autonomia nella vita personale e sociale dei fedeli che il CIC rispetta. Concordano tutti, ma si considera che non sia necessaria l'aggiunta, perché ciò va da sé» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 147-148).

singulas personas; ex alia parte, hae personae conciperentur ut agentes *potius titulo personali*. Adhuc *non* apparet visio paroeciae *ut communitatis*. Ulterior gressus, in conceptione recta, fieri debet.

Sermo, proinde, erit *de subiectivitate paroeciae ipsius*.

Paroecia definitur — uti scimus — «*communitas christifidelium*» (can. 515, § 1; cf. can. 516, § 1). Paroecia est *persona iuridica* (cf. can. 515, § 3). Qui hoc legit, expectat ut hoc subiectum habeat *attributiones activas*, sit, aliis verbis, *subiectum activum missionis Ecclesiae*, sicut, saltem, consociationes christifidelium.

Quoad conceptum huius subiectivitatis activae communitatis ecclesialis, habemus in novo Codice aliqua clara *specimina*, ubi agitur *de celebrationibus liturgicis*, praesertim *sacramentorum* et speciatim *Eucharistiae*. Legantur aliquot textus: «Eucharistica celebratio actio... Ecclesiae» (can. 899, § 1), et ideo communitatis ecclesialis, prout ipsa est unum subiectum activum; «Actiones liturgicae... sunt... celebrationes Ecclesiae ipsius, quae est “unitatis sacramentum”, scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata...» (can. 837, § 1), et ea de causa unum subiectum et hoc ex praesentia praesidentis Episcopi; «In eucharistica Synaxi populus Dei in unum convocatur, Episcopo aut, sub eius auctoritate, presbytero praeside...» (can. 899, § 2), proindeque unum subiectum ex praesentiae praesidis sacerdotis.

Elementa ex his textibus *synthetice* sunt sequentia: communitas ecclesialis est unum, est subiectum, est subiectum unitarium; hoc subiectum unitarium ponit aliquam actionem; haec actio est proinde non singulorum, sed communitatis prout est subiectum unitarium; unitas causatur praesentia praesidis, sive

sit Episcopus, sive sit presbyter sub Episcopi auctoritate.

Quid de hac visione quod attinet *ad paroeciam*? Vanum esset — proh dolor — de hac subiectivitate activa elementa invenire in Codice. Nisi, fortasse, in illo textu can. 528, § 2: «... sanctissima Eucharistia centrum sit congregationis fidelium paroecialis...», ubi, saltem implicite, paroecia ut communitas christifidelium videtur esse subiectum huius activitatis, scilicet celebrationis sanctissimae Eucharistiae⁷.

Aliis verbis, dum optime paroecia definitur «communitas christifidelium» cum capite presbytero sub auctoritate Episcopi (cf. can. 515, § 1; 516, § 1) nihilominus hic conceptus disparet in textibus sequentibus, qui loquuntur de parrocho deque eius activitate et, in quibusdam tantum locis, de parte propria laicorum.

Mihi videtur peropportuno esse ut conceptus paroeciae secundum Codicem in novam et veram lucem ponatur. Proinde *paroecia* vere et effective concipi debet ut «*communitas christifidelium*».

⁷ In textu *Schematis* 1977 dicebatur quidem: «Consulat parochus ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis...». Proinde efferebatur «celebratio». In coetu «De Populo Dei» diei 8 maii 1980, hoc mutatum est, quia «Mons. Segretario propone di sopprimere la parola “celebratio” ... perché l'Eucaristia comprende non solo la celebrazione ma anche il culto. È meglio dire solamente “SS. Eucharistia”. Il primo Consultore concorda con Mons. Segretario perché in certe regioni il parroco non può celebrare sempre, data la scarsità del clero e le grandi distanze; ed i fedeli si radunano da soli attorno all'Eucaristia per pregare» (cf. *Communicationes* 13 [1981] 279).

Quoad celebrationem eucharisticam ut actum totius communitatis sub sacerdote praeside cf. etiam *Communicationes* 13 (1981) 233-239; 408-411.

Haec expressio et relativus conceptus continent etiam illum conceptum *subiecti unitarii actionis ecclesialis*, de quo supra locuti sumus. Cur? Quia — uti scimus — expressio «communitas» consulto adhibita est, cum Coetus «De populo Dei», in sessione diei 19 aprilis 1980, mutavit terminum «populi Dei portio» in novum terminum «communitas christifidelium», cum sequenti motivatione: «Verbum “portio” exprimit magis factum physicum staticum quam dynamicam interactionem inter plures personas sub unico Pastore unitas»; et: «... adspectus communitarius apparet magis in ambitu paroeciae (quam in ambitu dioecesis — in cuius definitione servatur quidem verbum “portio”）」⁸.

Etiam ex hac «dynamica interactione» et ex hoc «adspectu communitario» erui potest opportunitas ut paroecia concipiatur ut subiectum unitarium activum.

In nostra proinde visione *subiectum actionis ecclesialis*, ultima et profundiore ratione, non sunt nec parochus nec alii fideles intellecti ut singuli, sed est *ipsa paroecia intellecta ut communitas-subiectum unitarium*.

Quomodo hoc exactius explicatur? Sicut in quavis persona iuridica, in actione subiecti dari videntur duo momenta: deliberatio communis et executio deliberationis. Ita deberet esse etiam in paroecia subiecto.

Deliberatio sumitur a parocho una cum consilio pastorali: hoc profert suam mentem (cf. can. 536; 212, § 3) et parochus responsabiliter decisionem sumit.

⁸ Cf. *Communicationes* 13 (1981) 147-148. Cf. etiam doctrinam Concilii Vaticani II de paroecia in F. COCCOPALMERIO, *Il concetto di parrocchia*, in AA.VV., *La parrocchia*, Bologna (Dehoniane), 1987, 29-82, cf. spec. 58-72.

Exsecutio huius deliberationis est totius paroeciae vel confertur singulis fidelibus aut aliquibus coetibus paroecialibus.

Ut *urum tantum exemplum* afferamus: si agitur de catechesi facienda pueris primae communionis, parochus cum consilio pastorali decedit methodos, instrumenta, tempora, et ita porro; post hoc, omnes, qui in paroecia munus habent catecheseos pro illis pueris, deliberata in praxim deducunt.

In hac visione, paroecia agit, quia deliberat et exsequitur quod deliberatum est. Ut imaginem orchestrae hic adhibeamus: sicut in orchestra singuli muscantes sonum suum emittunt, unus tamen ex omnibus sonus efficitur, ita in paroecia singuli fideles suam agunt actionem, sed una fit activitas, scilicet subiecti paroeciae.

Singuli fideles, vel coetus eorum, considerandi sunt non ad modum privatorum, sed ut membra paroeciae et quasi instrumenta eius. Sunt activi et modo communionali.

Speciatim figura parochi valde ita effertur. Ipse vere est *praeses* communitatis-subiecti. In illo pluralitas personarum suam unitatem invenit. Ille dirigit actionem communem. Est sicut orchestrae director, qui singulos adiuvat ad detegendum instrumentum suum, singulos postea docet quomodo instrumentum sonent et finaliter dirigit sonum communem. Ille vertit actionem suam non solum relate ad singulos, sed etiam, et essentialiter, relate ad totum. In hoc profundiore sensu intellegi etiam debet conceptus pastoris et curae pastoralis.

De cetero, praedicta conceptio, bene exprimi videtur relate ad dioecesim et ad Episcopum dioecesanum, his verbis: «Dioecesis est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascen-

da concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur una sancta catholica et apostolica Christi Ecclesia» (can. 369).

In citato textu inveniuntur locutiones: «pastor», «pascenda» (sub qua ultima intellegitur etiam «cura pastoralis»). Contentum et proinde significatio harum textus locutionum sequens esse clare apparet: «*pastor*» est ille cui populus «adhaeret» et qui, ideo, populum «congregat», proinde *populi* efficit *unitatem*; hoc fit muneribus docendi («per Evangelium») et sanctificandi («Eucharistiam»). «*Cura pastoralis*», sua vice, *identidem* definitur. Haec portio populi Dei efficitur ita *Ecclesia particularis*. Textus subintellegit: haec Ecclesia habet attributiones, vivit et agit. Est quid unum, est subiectum unitarium, habens suam vitam. Constituitur a pastore et populo et tali modo extracta vivit et agit ut Ecclesia.

Confiteri debemus imaginem praedictam vere esse congruam et satisfacientem.

Tali modo concipi debet et paroecia.

2) Relatio parochi cum Episcopo dioecesano.

«Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissaе, cura pastoralis communitatis sibi concreditaе fungens sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est...».

Quaestiones explicandae sequentes videntur: a) parochus pastor «sub auctoritate Episcopi dioecesani»; b) parochus pastor «proprius».

a) *Parochus pastor «sub auctoritate Episcopi dioecesan».*

Etiam alibi haec verba clare inveniuntur: «... cuius (paroeciae) cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesan, committitur paracho...» (can. 515, § 1).

Quid, proinde, significat expressio: «sub auctoritate Episcopi dioecesan»? Mihi videtur essentialiter duo.

Prius, quidem: parochus ab Episcopo *mitti* debet, ab Episcopo *mandatum recipere* debet. Parochus sine nominatione concipi minima potest; nullo modo est legitimus. Alterum, vero: parochus ab Episcopo *in actione dirigitur*, aliis verbis, *normas recipit*. Actio parochi non coordinata cum Episcopo dioecesano est quidem aliquid absonum.

Hoc quod diximus clare etiam continetur in illis textuum expressionibus: «paroeciae... *commissae*», «communitatis... *concreditae*»; et insuper: «cura pastoralis... *committitur* paracho» (can. 515, § 1). «Committere» et «concredere» praesupponunt quod aliqua persona confert aliquid proprium alii personae, quae, proinde, accipit quod non est suum, sed est subiecti conferentis. In nostro casu, subiectum conferens est evidenter Episcopus dioecesanus, qui confert alicui paracho communitatem paroecialem.

Ratio profunda necessitatis collationis, de qua agitur, est sequens. Episcopus dioecesanus est pastor in Ecclesia particulari omnium fidelium omniumque communitatum cum cooperatione presbyterii sui. Ea de causa, Episcopus dioecesanus est pastor huius paroeciae cum cooperatione parochi. Vel, vice versa, parochus est pastor huius paroeciae tamquam collaborator Episcopi dioecesan. Placet hic adhibere formulam: parochus est pastor paroeciae *una cum* Epi-

scopo dioecesano. Ex hoc provenit necessitas collationis paroeciae parochi, necessitas missionis parochi in paroeciam. Et omnino conexa necessitas — sicut diximus supra — ut parochus maneat sub directione Episcopi dioecesani, accipiat normas ab Episcopo dioecesano.

Habemus etiam verba: «cuius (Episcopi dioecesani) in partem ministerii Christi (parochus) vocatus est». Quid haec significant? Videtur hoc: Episcopus habet ministerium Christi et parochus vocatus est in partem Episcopi in ministerio Christi, participat in ministerio Episcopi qui est minister Christi.

Quidquid sit, interpretari possumus: parochus habet partem in ministerio Episcopi dioecesani; sicut diximus supra: est pastor una cum Episcopo dioecesano.

b) *Parochus pastor «proprius».*

Haec locutio «proprius» invenitur etiam alibi: «... (paroeciae) cura pastoralis... committitur parochi, qua proprio eiusdem pastori» (can. 515, § 1; 516, § 1). Ita in *Codice 1917*: «... proprius eiusdem pastor...» (can. 216, § 1).

Quid significat «proprius»? Spontaneum est dicere quod officium parochi est officium «proprium», non est officium «vicarium». Codex potius loquitur de «potestate regiminis ordinaria», quae est sive «propria» sive «vicaria» (cf. can. 131, § 2).

Possumus retinere quod officium «proprium» exercetur nomine proprio, officium «vicarium» exercetur nomine alius auctoritatis ecclesialis, ita ut actiones positae a vicario quodammodo referri debeant illi auctoritati in cuius vice vicarius egit. In aliquibus casibus actiones vicarii stricte referuntur auctoritati superiori, sicut in casu alicuius actus potestatis execu-

tivae (cf. can. 391, § 2: «(Episcopus) potestatem executivam exercet sive per se sive per Vicarios generales aut episcopales ad normam iuris...»; 479-480; 134).

Tunc habemus problema sequens: si parochus est pastor «proprius», tamen sunt textus Concilii Vaticani II, qui praesentant parochum ut vices gerentem Episcopi. Ita, ex. gr.: «... fidelium coetus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent...» (*Sacrosanctum Concilium* 42, 1); «(Presbyteri) in singulis localibus fidelium congregationibus Episcopum... quodammodo praesentem reddunt...» (*Lumen gentium* 28, 2); «eum (Episcopum) quodammodo praesentem reddunt» (*Presbyterorum ordinis* 5,1). Tamen non solum de parcho, verum etiam in genere, loquens de presbyteris, Concilium affirmare videtur presbyteros esse vicarios Episcopi. Quae sententia, de se, videtur esse in linea cum his quae supra diximus de relationibus inter parochum ac Episcopum dioecesanum.

Quid tunc significat: parochus pastor «proprius»? Res non est facilis explicationis. Tamen saltem unum hic retinendum videtur: actiones parochi sunt «propriae» quia haud referri possunt Episcopo dioecetano, eadem ratione ac illi referuntur actiones alicuius vicarii in exercitio potestatis executivae, prout supra notavimus loquentes de officio vicario et de conexa potestate executiva vicaria.

Hoc in tutum posito, parochus pastor «proprius» nullo modo potest significare (psychologice et spiritualiter loquendo) quod parochus est pastor «solutus» ab Episcopo dioecetano. Parochus, e contra, est pastor «una cum» Episcopo dioecetano. Ita ille se sentire et ita gerere debet. Hoc sensu, possumus dicere: parochus est pastor «vicarius» Episcopi dioe-

cesani. Etiam parochus, saltem analogice, possunt referri pulchra illa verba, quae Codex reservat Vicario generali et episcopali: «... de praecipuis negotiis et gerendis et gestis Episcopo dioecesano referre debent, nec umquam contra voluntatem et mentem Episcopi dioecesani agant» (can. 480)⁹.

II) *Parochus minister verbi Dei* (can. 528, § 1).

«Parochus obligatione tenetur providendi ut Dei verbum integre in paroecia degentibus annuntiatur; quare curet ut christifideles laici in fidei veritatibus edoceantur, praesertim homilia diebus dominicis et festis de praecepto habenda necnon catechetica institutione tradenda, atque foveat opera quibus spiritus evangelicus, etiam ad iustitiam sociale quod attinet, promoveatur; peculiarem curam habeat de puerorum iuvenumque educatione catholica; omni ope satagat, associata etiam sibi christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur» (can. 528, § 1)¹⁰.

⁹ Aliqua difficultas, quoad denominationem «pastorem proprium» facta esse videtur in Coetu «De clericis», in Sessione II, dierum, scilicet, 3-8 aprilis 1967: «Animadvertit unus Consultorum proprium pastorem esse Episcopum. Sed est qui respondet etiam parochum esse pastorem proprium, sub auctoritate Episcopi et illam affirmationem non praeiudicare Episcopo» (cf. *Communicationes* 17 [1985] 95).

¹⁰ Cf. *Communicationes* 8 (1976) 26-27; 9 (1977) 257; 13 (1981) 277-279; *Schema* 1980 can. 467, § 1; *Communicationes* 14 (1982) 224.

Pro can. 747 ss., cf. *Communicationes* 6 (1974) 54-56; 7 (1975) 146-160; 9 (1977) 259-265; *Schema* 1980 can. 706-788; *Communicationes* 15 (1983) 88-109.

Pro Schematibus LEF, cf. *Communicationes* 4 (1972) 155-157; 5 (1973) 196-216; 8 (1976) 78-108; 9 (1977) 106-116; 12 (1980) 25-47; 13 (1981) 65-69 et insuper *Schema Legis Ecclesiae Fundamentalitatis*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1971.

Ex quo textu sequentia efferuntur: 1) caracteres annuntii verbi Dei; 2) praecipua media vel modi; 3) pluralitas subiectorum.

1) *Characteres annuntii verbi Dei.*

Aliqua Codicis verba speciatim recolere oportet:

«... Dei verbum integre in paroecia degentibus annuntietur... ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur».

a) Ante omnia bene notetur: annuntiari debet «*Dei verbum*».

Modo accurato statuere quid locutio significet maximi est momenti: agitur enim de obiecto essentiali activitatis annuntii parochi et paroeciae.

aa) Planum est verbum Dei significare ante omnia illum complexum veritatum *quae sunt credendae fide divino-catholica*, aliis verbis, «quae verbo Dei scripto vel tradito, uno scilicet fidei deposito Ecclesiae commisso, continentur, et insimul ut divinitus revelata proponuntur sive ab Ecclesiae magisterio sollemni, sive ab eius magisterio ordinario et universali...» (can. 750; cf. can. 749; 751). Quod, de cetero, etiam continetur in illis verbis: «... christifideles laici in *fidei veritatibus* edoceantur...» et «... spiritus *evangelicus*... promoveatur...».

bb) Item planum est expressionem «*Dei verbum*» in nostro textu adhibitam intellegendam etiam esse de complexu illius doctrinae, quae accipi debet *religioso intellectus et voluntatis obsequio*, idest de complexu illius doctrinae quae proponitur *magisterio authentico* (cf. can. 752-753)¹¹.

¹¹ Cf. *Communicationes* 9 (1977) 107-111; 13 (1981) 66-67; 15 (1983) 90-91.

cc) Nuntium verbi habebit contentum *dogmaticum et morale*, sicut ab ipso effertur Codice: «Divini verbi praecones christifidelibus imprimis proponant, quae... credere et facere oportet» (can. 768, § 1).

Syntheticè loquendo, expressio adhibita «Dei verbum» intellegi debet uti comprehendens totam doctrinam revelatam, scriptam atque traditam, sicut propositam a Magisterio in omnibus eius expressionibus; generalius vero, intellegi debet uti tota doctrina Ecclesiae, quamvis clarum sit hierarchiam inter veritates, plus minusve momentosas, opportunum esse facere. Omnia haec videntur expressa, modo lucido, in sequenti textu:

«In ministerio verbi, quod sacra Scriptura, Traditione, liturgia, magisterio vitaeque Ecclesiae innitatur oportet, Christi mysterium integre ac fideliter proponatur» (can. 760)¹².

dd) Ratio necessitatis proponendi fidelibus «verbum Dei», non. vero, verbum aliquod pure humanum, in hoc quidem consistere videtur, quod «Dei verbum» habet *efficaciam* omnino *unicam*, sicut ipse Codex claro modo insinuat: «Cum Dei populus primum coadunetur verbo Dei vivi...» (can. 762). Proinde verbum Dei efficaciam unicam habet *Dei populum coadunandi*, a.v. *efficiendi*.

¹² Can. 768, § 2 profert varia praedicationis obiecta, quae omnes tangere debent, praesertim parochos.

Adhuc notare possumus annuntium verbi Dei continere etiam debere monitionem ut doctrinae vitentur quae contrariae sunt ipsi verbo Dei (cf., sub fine, can. 750 et 752).

Denuo legi potest, pro omnibus expressis thematibus, can. 279, § 1: «... solidam... doctrinam ... sectentur ..., devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam».

b) Secundo loco, notare debemus quod verbum Dei annuntiari debet «*integre*».

Haec expressio spontanee referri videtur sive ad *contentum* sive ad *genuinitatem* ministerii verbi Dei. Sub priore adspectu, annuntiari debet «*totum*» verbum Dei, a.v., annuntiari debent omnes veritates. Sub altero adspectu, annuntiari debet «*authenticum*» verbum Dei, scilicet in veritate suae significationis. Iterum citare possumus illum Codicis textum: «In ministerio verbi... Christi mysterium integre ac fideliter proponatur» (can. 760), ubi duo verba «*integre*» ac «*fideliter*» modo perspicuo exprimunt duos adspectus «*totalitatis*» et «*authenticitatis*».

Ratio normae omnino clara de se apparet: si obiectum annuntii est verbum Dei, exigitur consequenter plena verbo huic fidelitas et insimul vitari debent duo pericula, idest tacendi aliquas partes (quae esse possunt fidelibus minus gratae) vel conferendi verbo Dei interpretationes alienas a genuino spiritu Evangelii et magisterii.

c) Cum his quae supra diximus plene connectitur necessitas ut verbi ministri *se coordinent cum auctoritate episcopali*. Duos textus citare liceat:

«*Quoad universam Ecclesiam munus Evangelii annuntiandi praecipue Romano Pontifici et Collegio Episcoporum commissum est. Quoad Ecclesiam particularem sibi creditam illud munus exercent singuli Episcopi, qui quidem totius ministerii verbi in eadem sunt moderatores; quandoque vero aliqui Episcopi coniunctim illud explent quoad diversas simul Ecclesias, ad normam iuris*» (can. 756); «*Ad exercitium praedicationis quod attinet, ab omnibus praeterea servantur normae ab Episcopo dioecesano latae*» (can. 772, § 1)¹³.

¹³ Cf. etiam can. 774, § 1: «sub moderamine»; 775: «Servatis praescriptis... normas... edicere»; 777: «attentis normis»; 800, §

Ratio et valor normae in hoc evidenter consistunt: annuntiatio verbi Dei in communione adimpleri debet cum auctoritate Episcopi dioecesani (et evidenter cum Romano Pontifice), ex eo quod Episcopus activitatem annuntii authenticat et ipse adprobat ac mittit nuntios. Haec ratio, evidenter, valet praesertim pro presbyteris et speciali modo pro parochis, qui Episcopum repraesentant apud singulas communitates (cf. pro parochis can. 515, § 1 et 519: «sub auctoritate Episcopi dioecesani»).

d) Bene notare insuper liceat verbum Dei annuntiari debere «*in paroecia degentibus*».

Hoc essentialiter significat: unicum necessarium requisitum ut quis ius habeat ad annuntium verbi Dei est praesentia in paroecia per domicilium vel quasi domicilium, secundum regulam territorialitatis paroeciae, vel alia requisita ordinis quidem obiectivi (ritus, lingua, natio) (cf. can. 518). Aliae notae non requiruntur, ex. gr., ut quis sit bonus, vel pauper, vel iuvenis, vel liturgiam frequentans¹⁴.

Ratio et valor normae: Ecclesia facere nolit ullam acceptionem personarum, quia omnes personae aequales sunt erga Ecclesiam et verbum Dei.

e) Quod notavimus logice determinat, in parte finali nostri textus, *notam universalitatis* annuntii evangelici:

1: «moderandi»; 803-806; 823, § 1: «invigilandi»; etc. In memoriam etiam revocemus parochum semper esse «sub auctoritate Episcopi dioecesani» (can. 515, § 1; 519). Cf. etiam normam can. 772, § 2: «Ad sermonem de doctrina christiana faciendum via radiophonica aut televisifica, servantur praescripta ab Episcoporum conferentia statuta» (cf. *Communicationes* 7 [1975] 152; 9 [1977] 261).

¹⁴ Cfr. etiam can. 762: «... Evangelium omnibus annuntiare».

«(parochus) omni ope satagat, associata etiam sibi christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur».

Uti faciliter apparet, textus in considerationem sumit sive baptizatos qui ab Ecclesia longe sunt, sive baptizatos communionem ecclesiam cum Ecclesia catholica non plenam habentes, sive non baptizatos.

Etiam hi in territorio paroeciae quidem degunt et proinde etiam his annuntium verbi Dei pervenire debet. In hoc sensu habemus quoque alium textum:

«Provideant quoque (animarum pastores), ut Evangelii nuntium perveniat ad non credentes in territorio degentes, quippe quos, non secus ac fideles, animarum cura complecti debeat» (can. 771, § 2)¹⁵.

Ratio normae in ansia — dicamus — pastoralis consistit: actio Ecclesiae limitari nequit stricto circulo eorum qui viciniore sunt vel qui liturgiam frequentant.

Quaedam critica moveri, tamen, textibus potest, ex eo quod minorem evidentiam dare videntur fratribus christianis non catholicis. Verum est quod hi christiani fidem catholicam imperfecte profitentur; tamen ipsi praesumuntur in bona fide inveniri. Ex hoc provenit quod, si etiam illis nuntium evangelicum offerri oportet, hoc fieri debet peculiari attentione et reverentia eorum conditioni ecclesiali, una cum sollicitudine eorum conscientiam rectius illuminandi¹⁶.

¹⁵ Nuntium hoc, tamen, semper habere debet attentionem libertati conscientiae, sicut Codex monet: «Homines ad amplectendam fidem catholicam contra ipsorum conscientiam per coactionem adducere nemini umquam fas est» (can. 748, § 2). Parochus, proinde, attentissimus erit huic exigentiae.

¹⁶ Ante Plenariam 1981 propositum est ut substitueretur,

f) Ulterior nota reservari debet monitioni Codicis *de attentione erga receptores nuntii verbi Dei*. Haec attentio talis esse debet ut receptoribus aptetur modus annuntiandi ipsum verbum. Hoc, vero, duplici modo: subiective et obiective. Subiective, quidem, verbum aptando conditionibus auditorum, idest concretis recipiendi capacitatibus; obiective, autem, illam partem verbi proponendo, quae magis opportuna est in concretis illorum adiunctis, ita ut melius respondeatur actualioribus et difficilioribus problematibus (cf. de hoc etiam can. 769; 779)¹⁷.

Ratio normae: verbum Dei debet non solum recte annuntiari, sed etiam de facto recipi. Sine hoc — patet — annuntium verbi manere potest abstractum et inefficax.

loco «veram fidem non profitetur», expressio: «catholicam fidem non profitentur» ex rationibus oecumenicis. Propositio accepta non est hac quidem responsione: «Animadversio admitti nequit, quia fides catholica est unica vera fides. Redactio autem quae proponitur intelligi posset ac si ceterae aliae essent quoque verae» (cf. *Communicationes* 14 [1982] 224). Incongruam putamus fuisse motivationem: etenim dicere «catholicam fidem» non fuisset affirmatio quod ipsa non est unica vera fides et quod aliae sunt quoque verae; fuisset solummodo modus magis generalis sese exprimendi et forma magis attenta erga fratres non catholicos.

¹⁷ Cf. etiam can. 770: «alias formas necessitatibus aptatas». In Coetu «De Magisterio ecclesiastico» recursus factus est ad *Christus Dominus* 12 et modo peculiari notatum est: «... et curandum esse ut quaestionibus quibus maxime anguntur eo tempore homines responsum praebeatur» (cf. *Communicationes* 7 [1975] 153). Alicuius momenti esse potest notare quod exigentia annuntiandi verbum Dei modo auditoribus apto constituere debet principium educationis futurorum ministrorum et ideo ipsorum cura iam ab annis seminarii (cf. can. 248: «... Evangelii doctrinam hominibus sui temporis apte, ratione eorundem ingenio accommodata, nuntiare valeant»).

g) Textus examini subiectus nobis etiam indicat *finalitates annuntii* verbi Dei, his sane verbis:

«... curet ut christifideles laici in fidei veritatibus edoceantur... atque foveat opera quibus spiritus evangelicus, etiam ad iustitiam sociale[m] quod attinet, promoveatur».

Duo elementa in citato textu contineri videntur. De quibus aliquid analytice videamus.

Ante omnia textus vult ut christifideles «*edoceantur*». Hoc significat quad *mens* fidelium *imbui* debet, a.v. peculiariter effertur *cognitio veritatis*. Primo ictu, videretur agi de aliqua cognitione *pure intellectuali*.

Secundo loco, textus vult «*ut spiritus evangelicus... promoveatur*». Agitur — uti videtur — de cognitione potius practica, idest de cognitione veritatis quae ducit *ad vitam christianam* recte et fructuose *agendam*. Probabiliter textus noster minus perspicuus est quam textus contentus in *Schemate* 1977: «Parochus... curet ut christifideles in fidei veritatibus recte edoceantur... utque opera foveat quibus in universis actionibus suis spiritu evangelico imbuantur...»¹⁸. Duo verba: «*edoceantur*» et «*imbuantur*», in communi correlatione cum formatione fidelium, forsitan melius intellegere sinunt duplicem adspectum, intellectualem et practicum (cf. etiam verba «*in universis actionibus suis*»), ipsius fidelium formationis.

Minus vero intellegitur cur in textu nostro peculiariter efferatur «iustitia socialis», quae solummodo unus est obiectorum complexioris vitae christianae, nec est primus, etiamsi maximi ponderis, omnium valorum ipsius vitae secundum Evangelium¹⁹.

¹⁸ Cf. *Communicationes* 13 (1981) 277.

¹⁹ Hoc notatum est etiam in Coetu «De Populo Dei» diei 8 maii 1980 (cf. *Communicationes* 13 [1981] 279).

2) *Precipua media vel modi annuntii verbi Dei.*

Indicantur in textu syntheticis locutionibus:

«... praesertim homilia diebus dominicis et festis de praecepto habenda necnon catechetica institutione tradenda...»; «... peculiarem curam habeat de puerorum iuvenumque educatione catholica»²⁰.

Statim notare possumus: «homilia» et «institutio catechetica» introducuntur adverbio «praesertim»²¹, proindeque considerari videntur, ex una parte, ut praecipua media annuntii et, ex alia, non unica huiusmodi media; «educatio catholica» attinet solummodo ad pueros iuvenesque.

Videamus aliquomodo analytice varias formas annuntii. Referentia faciliter fit ad can. 767, § 1 (de homilia); 773 ss. (de institutione catechetica); 793 ss. (de educatione catholica).

a) *Homilia* est modus annuntii verbi Dei quo «per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae» exponuntur (can. 767, § 1). Notari etiam utiliter potest quod de homilia a Codice affirmatur: «Inter praedicationis formas eminet» (*ibid.*); «est pars ipsius liturgiae et sacerdoti aut diacono reservatur» (*ibid.*), exclusis proinde laicis²².

Obligatio habendi homiliam variis gradibus statuitur (cf. can. 767, §§ 2-4)²³.

²⁰ Varii modi vel varia media quibus normaliter verbum Dei annuntiatur indicantur in can. 761.

²¹ Quoad peculiare momentum homiliae et catechesis, cf. can. 761: «quae quidem semper principem locum tenent».

²² Cf. *Communicationes* 6 (1974) 55; 7 (1975) 152; 9 (1977) 261; 15 (1983) 95-96.

²³ Cf. *Communicationes* 7 (1975) 152; 15 (1983) 96. Cf. can. 386, § 1.

b) *Institutio catechetica* est modus annuntiandi verbum Dei complectens duos adspectus, scilicet «doctrinae institutionem et vitae christianae experientiam» (cf. can. 773), et hoc «ut fidelium fides... viva fiat explicita atque operosa» (*ibid.*)²⁴.

Obligatio tradendae catechesis claris verbis exprimitur: quoad omnes fideles (cf. can. 774, § 1; cf. can. 773: «praesertim»; proinde non solum ad animarum pastores pertinet, sed ad omnes fideles); quoad pastores animarum (cf. can. 773); quoad parentes et eos qui illorum locum tenent ac tandem paternos (cf. can. 774, § 2); quoad parochos (cf. can. 776)²⁵.

Obiectum catechesis pluribus modis indicatur: quoad pueros speciatim relate ad sacramenta (cf. can. 777, nn. 2-3); quoad iuvenes et adultos (cf. can. 777, n. 5); quoad omnes christifideles relate varia sacramenta (cf. can. 777, n. 1, cum referentia ad can. 851; cf. tandem can. 1063-1064). Codex monet, cum sapientia et amore, institutionem catechetica dirigere debere etiam illis qui corpore vel mente sint praepediti, quantum eorum condicio sinat (cf. can. 777, n. 4).

Media ad catechesim impertiendam: sint «apta» (cf. can. 775, § 1), sint omnia quae praesto sunt (cf. can. 779) et sint efficaciora auditoribus (*ibid.*). Eventualiter — uti videtur²⁶ — catechesis tradi potest

²⁴ Coniunctio inter cognitionem fidei et praxim vitae christianae effertur variis in locis: «in fide et vitae christianae praxi efformandi» (can. 774, § 2); «plenius catholicam doctrinam ediscere eamque aptius in praxim deducere» (can. 779).

²⁵ Ita in aliis locis: «Sollicitudo catechesis» (can. 774, § 1); «... catechetica institutio sedulo impertiatur» (can. 778). Et etiam in can. 777; 780. Cf. *Communicationes* 7 (1975) 153: «... gravissimum ... officium»; 9 (1977) 261: «Officium ... gravissimum».

²⁶ Can. 775, § 1 dicit enim: «... apta catechesis instrumenta praesto sint, catechismus etiam parando, si opportunum id videatur...».

etiam per sic dictum «catechismum» (cf. can. 775, § 1).

c) Si homilia et catechesis modi sunt praecipui et tamen non exclusivi (memoremur «praesertim» can. 528, § 1), *quales alii modi* in Codice indicantur ut fidelibus annuntietur verbum Dei, ita ut «in fidei veritatibus edoceantur» et in eis «spiritus evangelicus ... promoveatur»?

Paucas habemus in Codice indicationes, dum multum relinquitur legislationibus particularibus atque singulis pastoribus secundum adiuncta locorum et temporum.

Unicus modus a Codice praevisus, proindeque obligans sunt «praedicationes, quas exercitia spiritualia et sacras missiones vocant» (can. 770)²⁷, quae haberi debent «certis temporibus, iuxta Episcopi dioecesani praescripta» (*ibid.*). Etiam hic, tamen, Codex largius praevidet: «vel alias formas necessitatibus aptatas» (*ibid.*).

Codex videtur indicare vel saltem insinuare *quodammodo triplicem exigentiam*, ad suscitandos varios modos annuntiandi verbum Dei.

Prima exigentia est «ut Dei verbum iis quoque fidelibus nuntietur, qui ob vitae suae condicionem communi et ordinaria cura pastorali non satis fruantur aut eadem penitus careant» (can. 771, § 1). Talis, sane, casus est aliquorum fidelium, qui operam praestant etiam diebus dominicis et festis, vel casus aegrotorum qui domi manere coguntur. Codex vult ut «solliciti sint animarum pastores, praesertim Episcopi et parochi» in hoc verbi servitio, proindeque pastores modos aptos invenire tenentur²⁸.

²⁷ Cf. *Communicationes* 7 (1975) 153: «... ordinandas esse praedicationes quas exercitia spiritualia missionesve vocant...».

²⁸ Cf. *Communicationes* 7 (1975) 153.

Secunda exigentia est ut verbum Dei annuntietur etiam illis, qui fidem non habent, vel eam amiserunt, vel liturgiam non participant, vel non sunt baptizati, vel non habent plenam communionem cum Ecclesia catholica. Pro his quoque modi apti annuntii verbi inveniendi sunt²⁹.

Tertia, tandem, exigentia est annuntium verbi Dei illis fidelibus qui profundiorum formationem spiritualem recipere possunt, vel immo quaerunt. Pro his inveniendi sunt modi apti, sicut directio spiritualis, exercitia spiritualia vel similia, etiam ad suscitandas vocationes, sive ad ministerium sacrum, sive specialis consecrationis (cf., ex. gr., can. 233; 385; 574, § 1).

d) *Educatio catholica* est modus annuntiandi verbum Dei talis ut pueri et iuvenes «ad christianae vitae plenitudinem pervenire valeant» (cf. can. 794, § 1) et «suas dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valeant» (cf. can. 795) et ita in Ecclesiam et societatem civilem plene inserere sese possint (cf. *ibid.*)³⁰.

Obligatio promovendi educationem catholicam clare affirmatur:

«Animarum pastoribus officium est omnia disponendi, ut educatione catholica omnes fideles fruuntur» (can. 794, § 2). Et, pro paracho, denuo citari verba possunt: «peculiarum curam habeat de puerorum iuvenumque educatione catholica» (can. 528, § 1).

Potius notare possumus, in Codicis de hoc statuitur, educationem catholicam normaliter per scholas

²⁹ Cf. *ibid.*

³⁰ Cf. *Communicationes* 7 (1975) 154-156; 9 (1977) 113; 13 (1981) 69.

offerri debere (cf. can. 796)³¹ et peculiari modo per scholas catholicas (cf. cann. 800-806) vel etiam non catholicas, in quibus, tamen, educatio catholica curari debet (cf. can. 798; 804). Si, tamen, nihil ex his quae diximus fieri potest, provideri debet ut educatio catholica extra scholas offeratur (cf. can. 798). Si scholae catholicae vel non catholicae cum educatione catholica haud existerent, Episcopus providere deberet ut scholae catholicae conderentur (cf. can. 802).

Parochi, consequenter, agere debent secundum ea quae supra diximus: vel condendo — nisi existunt — scholas catholicas in sua paroecia vel saltem in vicariatu foraneo, vel aliter sapienter providendo, ex. gr. per structuram paroeciales, in quibus iuvenes adunantur et educantur (sunt sic dicta «oratoria paroecialia»).

3) *Pluralitas subiectorum verbum Dei annuntiatum.*

Quis in paroecia verbum Dei annuntiat? Solus parochus an etiam alii christifideles?

a) Statim dicamus: secundum can. 528, § 1, responsio videretur tendentialiter quod solus parochus est activus in annuntio verbi Dei. Dicimus «tendentialiter», quia elementa, saltem implicita, habemus etiam in alium sensum. Et sunt duo. Prius esset incisum: «associata etiam sibi christifidelium opera», sed hoc videtur referri — modo omnino restricto — solummodo ad eos qui longe sunt ab Ecclesia vel veram fidem non profitentur. Alterum elementum

³¹ Tamen non exclusive per tales institutiones (cf. can. 796, § 1: «Inter media»). Cf. etiam *Communicationes* 9 (1977) 113; 13 (1981) 69.

adesset in verbis: «Parochus obligatione tenetur providendi ut Dei verbum... annuntietur...», ubi terminus «providendi» saltem insinuat activitatem annuntii explicari posse a parochio sive personaliter sive per alios³².

Aliquid amplius inveniri potest in aliis textibus: «(Parochus) munera exsequatur docendi... cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque operam conferentibus christifidelibus laicis, ad normam iuris» (can. 519); «Partem quam christifideles laici in missione Ecclesiae propriam habent, parochus agnoscat et promoveat...», quamvis hoc referri videatur, saltem explicite, ad hoc quod statim sequitur: «... consociationes eorundem ad fines religionis fovendo» (can. 529, § 1).

b) Abundantiora et clara elementa pro plurisubiectivitate in annuntio verbi Dei habemus, e contra, in can. 747 ss. Loqui distincte possumus, ex una parte, de laicis et, ex altera, de membris institutorum vitae consecratae necnon societatum vitae apostolicae. Nullum problema, e contra, quoad diaconos, quorum titularitas ministerii verbi Dei clare affirmatur (cf. can. 757; 764; 776: «clericorum paroeciae addictorum»).

aa) Relate ad *laicos*, habemus ante omnia affirmationem generalem atque ad modum principii:

«Christifideles laici, vi baptismatis et confirmationis, verbo et vitae christianae exemplo evangelici nuntii sunt testes...» (can. 759; et denuo perlegantur can. 211; 225; 879).

³² Cf. *Communicationes* 15 (1983) 98: «Potest quis per alium, quod non potest facere per seipsum» (RI 68). Ceteroquin iam indicatur per verba «curet ut...».

Propterea sacramenta laicos constituunt Evangelii testes *etiam verbo*. Qua de causa, textus prosequitur: «... vocari etiam possunt ut in exercitio ministerii verbi cum Episcopo et presbyteris cooperentur» (*ibid.*)³³. Sed cur «possunt», nec potius «debent», evidenter quatenus apti sunt. Et quid significat «cooperari»? Certe hoc intellegi debet non mere de activitate auxilii missionis aliorum (Episcopi et presbyterorum), verum etiam de activitate propria, scilicet laicorum.

Quidquid sit, Codex apparet potius restringens activitatem praedicationis et omnino favens activitati catecheseos, necnon — evidenter — educationis catholicae.

Quoad *primam*, habemus can. 767, § 1 (prohibitionem, scilicet, habendi homiliam ex parte laicorum) et can. 766 (possibilitatem, positam ponendis, praedicandi in ecclesia vel in oratorio)³⁴.

Quoad *catechesim*, invenimus affirmationem principii generalis:

«*Sollicitudo catechesis, sub moderamine legitimae ecclesiasticae auctoritatis, ad omnia Ecclesiae membra pro sua cuiusque parte pertinet*» (can. 774, §1)³⁵.

³³ Cf. *Communicationes* 7 (1975) 152; 9 (1977) 261; 15 (1983) 93 et etiam 9 (1977) 112-113; 13 (1981) 68-69.

³⁴ Cf. referentias in nota praecedenti et etiam *Communicationes* 15 (1983) 95. In memoriam hic revocari debet can. 230, § 3, qui, tamen, strictior videtur, quia dicit solummodo: «Ubi Ecclesiae necessitas id suadeat...». In can. 766 agitur, latius, sive de «necessitate» sive de «utilitate».

³⁵ Iam can. 773 significanter dicit: «... pastorum praesertim animarum...» et ideo saltem insinuat quod etiam ceteri fideles officium habent catechesim impertiendi. Et can. 774, § 2: «Prae ceteris parentes...», et ideo non solum parentes, sed etiam ceteri fideles. Cf. etiam *Communicationes* 7 (1975) 153; 9 (1977) 261; 15 (1983) 96.

Ex hac generali affirmatione, Codex descendit ad specificationes.

Parentes, vel qui locum illorum tenent, necnon patrini, obligatione catechesis tenentur (cf. can. 774, § 2)³⁶.

Omnes christifideles, quos parochus vocare censerit, obligatione tenentur catechesim impertiendi, parentesque adiuvandi, nisi sint legitime impediti (cf. can. 776)³⁷. Munus catechistarum adimplentes apte praeparari debent (cf. can. 780).

Quoad, tandem, *educationem catholicam* obligatio est omnium laicorum, qui in hac impertienda concrete activi sunt (cf. can. 793; 796 ss.; 835, § 4 sub fine).

bb) Relate ad *membra institutorum vitae consecratae necnon societatum vitae apostolicae*, pauca addenda sunt, quia eorum pars in annuntio verbi Dei pluries a Codice effertur. Ita affirmatur quod membra institutorum vitae consecratae vi suae consecrationis peculiare Evangelii testimonium offerunt et conveniens est ut ab Episcopo in annuntium Evangelii assumantur (cf. can. 758)³⁸. Ita parochus membrorum institutorum vitae consecratae necnon societatum vitae apostolicae operam adhibebit sive in catechesi impertienda (cf. can. 776)³⁹, sive in educatione catholica (cf. can. 801)⁴⁰.

Omnibus perpensis, retinere possumus Codicem indicare quod in ambitu paroeciae plura sunt subiecta

³⁶ «In catechesi familiari», ut loquitur can. 776.

³⁷ Cf. *Communicationes* 7 (1975) 154; 15 (1983) 97.

³⁸ Cf. *Communicationes* 7 (1975) 153; 9 (1977) 261; 15 (1983)

93.

³⁹ Cf. referentias in nota 37. Cf. etiam can. 778.

⁴⁰ Cf. etiam can. 806.

annuntii verbi Dei. Parochus, proinde, hoc annuntium explicabit sive personaliter⁴¹ sive opera aliorum (cf. denuo can. 528, § 1). Et hoc est maximi momenti, praesertim ad efferendam subiectivitatem activam plurium personarum, ne — evidenter — dicamus omnium. Etiam est maximae considerationis annuntium verbi Dei a pluribus subiectis peractum allatum esse communitati speciale beneficium, sive sub adpectu peculiaris charismatis (ex. gr. membrorum institutorum vitae consecratae), sive sub adpectu certae specializationis (ex. gr. illorum qui peculiariter materiae studuerunt).

III) *Parochus minister sacrae liturgiae* (can. 528, § 2).

«Consulat parochus ut sanctissima Eucharistia centrum sit congregationis fidelium paroecialis; allaboret ut christifideles, per devotam sacramentorum celebrationem, pascantur, peculiarique modo ut frequenter ad sanctissimae Eucharistiae et poenitentiae sacramenta accedant; annitatur item ut iidem ad orationem etiam in familiis peragendam ducantur atque conscie et actuose partem habeant in sacra liturgia, quam quidem, sub auctoritate Episcopi dioecisani, parochus in sua paroecia moderari debet et, ne abusus irrepant, invigilare tenetur» (can. 528, § 2)⁴².

⁴¹ Fere inutile est efferre momentum pro parochis activitatis annuntii verbi Dei. In *Schematibus «De Ecclesiae munere docendi»* 1977 (can. 11) et 1980 (can. 717) et in *Schemate «Legis Ecclesiae Fundamental»* (can. 64) (cf. *Communicationes* 13 [1981] 68) dicebatur quod annuntium verbi Dei est primum inter officia presbyterorum. In conexione cum hoc, semper iterum cogitari debet de continuo studio doctrinae christianae (cf. can. 279).

⁴² Cf. *Communicationes* 8 (1976) 27; 9 (1977) 257; 13 (1981) 278-280; *Schema* 1980 can. 467, § 2; *Communicationes* 14 (1982) 224.

Pro can. 834 ss., cf. *Communicationes* 3 (1971) 69-81; 197-

In textu plura continentur, videlicet quae sequuntur: 1) Eucharistia tamquam centrum congregationis fidelium paroecialis; 2) cura pastoralis christifidelium per sacramentorum devotam celebrationem, frequens eorum accessus ad sacramenta Eucharistiae et paenitentiae, conscia et actuosa liturgiae participatio; 3) oratio in genere, etiam in familiis; 4) moderatio et vigilantia super liturgiam. Videamus singillatim.

1) *Eucharistia tamquam centrum congregationis fidelium paroecialis.*

Verba Codicis:

«Consulat parochus ut sanctissima Eucharistia centrum sit congregationis fidelium paroecialis...».

Expressio est generica et plura videtur continere.

«Eucharistia» est, certo certius, celebratio sacrificii eucharistici et manducatio cibi eucharistici, sed est etiam permanens praesentia Domini sub speciebus eucharisticis (cf. can. 897-898).

«Centrum esse» duo significare videtur: celebratio sacrificii et manducatio cibi eucharistici actus princeps esse debet et communitatis paroecialis et uniuscuiusque christifidelis (cf. can. 899; 912-923); permanens praesentia «in aliqua ecclesiae vel oratorii

205; 4 (1972) 51-59; 160-168; 5 (1973) 42-46; 70-93; 6 (1974) 35-39; 47-48; 177-198; 210-214; 7 (1975) 27-62; 8 (1976) 32-73; 9 (1977) 117-146; 266-268; 323-344; 345-378; 10 (1978) 47-85; 86-208; 12 (1980) 319-387; 13 (1981) 211-245; 408-443; *Schema 1980* can. 789-1204; *Communicationes* 15 (1983) 170-253.

Pro Schematibus LEF, cf. *Communicationes* 4 (1972) 155-157; 5 (1973) 196-216; 8 (1976) 78-108; 9 (1977) 274-279; 12 (1980) 25-47; 13 (1981) 69-72 et insuper *Schema Legis Ecclesiae Fundamental*is, Typis Polyglottis Vaticanis, 1971.

parte insigni, conspicua, decore ornata, ad orationem apta» sisti debet (cf. can. 938, § 2; 934-940) et oratio coram SS. Sacramento habitudo fieri oportet pro unoquoque fidei (cf. can. 937), una cum aliis formis cultus permanentis praesentiae, sicut sunt expositiones sollemnes (cf. can. 941-942), benedictiones (cf. can. 943), processiones (cf. can. 944).

Omnibus hisce de causis, parochi officium est curare ut cultus Eucharistiae modo optimali fiat et allaborare ut fideles paroeciae centralitatem Eucharistiae profunde percipiant et fructuose vivant. Etiam aliis in locis hoc vivide effertur:

«... Sacrificium eucharisticum... totius cultus et vitae christianae est culmen et fons, quo significatur et efficitur unitas populi Dei et corporis Christi aedificatio perficitur. Cetera enim sacramenta et omnia ecclesiastica apostolatus opera cum sanctissima Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur» (can. 897); «Christifideles maximo in honore sanctissimam Eucharistiam habeant, actuosam in celebratione augustissimi Sacrificii partem habentes, devotissime et frequenter hoc sacramentum recipientes, atque summa cum adoratione idem colentes; animarum pastores doctrinam de hoc sacramento illustrantes, fideles hanc obligationem sedulo edoceant» (can. 898). Cf. can. 899, § 3.

Ulterius, tamen, procedentes, hoc adiungere possumus: Eucharistia centrum paroeciae non significat solummodo ea quae supra exposuimus de centralitate eucharistici *cultus* seu de modo optimali celebrationis, conservationis et venerationis huius augustissimi sacramenti, sed significat quoque quod fideles paroeciae conformare debent totam suam *vitam* secundum exigentias Eucharistiae, habere debent «spiritualitatem eucharisticam», sinere debent ut Eucharistia efformet ipsorum vitam, ducat ad charitatem erga Deum et erga fratres. Hoc sensu, iterum citemus

verba Codicis: «Sacrificium eucharisticum... totius cultus et vitae christianae est culmen et fons...» (can. 897), ubi illud «et vitae christianae» indicat Eucharistiam debere vitam fidelium efformare.

Parochus proinde tenetur in pastoralis suae paroeiae ad hanc eucharisticam spiritualitatem efformandam⁴³.

2) *Cura pastoralis christifidelium per sacramentorum devotam celebrationem, frequens eorum accessus ad sacramenta Eucharistiae et paenitentiae, conscia et actuosa liturgiae participatio.*

Monet Codex:

«... allaboret ut christifideles, per devotam sacramentorum celebrationem, pascantur, peculiarique modo ut frequenter ad sanctissimae Eucharistiae et paenitentiae sacramenta accedant; ... conscie et actuose partem habeant in sacra liturgia...».

Textus agit: generaliter, de modo celebrandi liturgiam deque participatione in ipsa; peculiariter, de frequenti accessu ad sacramenta Eucharistiae et paenitentiae.

In memoriam revocare iuvat aliquas normas peculiare ex libro IV Codicis.

a) *De modo celebrandi liturgia* Codex ita monet:

«In (sacramentis) celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ceteri christifideles» (can. 840); «Celebratio eucharistica ita ordinetur, ut omnes participantes exinde plurimos capiant fructus, ad quos obtinendos Christus Dominus Sacrificium eucharisticum instituit» (can. 899, § 3).

⁴³ Cf. *Communicationes* 4 (1972) 51-59; 13 (1981) 233-245; 408-443; 13 (1983) 189-202.

Hoc fiet secundum normas a competenti Ecclesiae auctoritate statutas (cf. can. 838; 841).

Modus celebrandi cultum Deo «iuxta praescripta proprii ritus a legitimis Ecclesiae Pastoribus approbati» est de cetero ius fundamentale omnium christifidelium (cf. can. 214).

De participatione in liturgia, praesertim sacramentali et speciatim eucharistica, Codex clare docet liturgicarum celebrationum subiecta esse non solum sacros ministros, verum etiam ipsos laicos, suo quisque peculiari modo (cfr. can. 835-837; 840; 899, § 2).

Ex hoc profluit necessitas ut omnes christifideles in liturgia *scienter et actuose participant* (cf. can. 837, § 2; 835, § 4; 898; 1174, § 2).

Et ex hoc, sua vice, profluit necessitas ut christifideles *evangelizatione et catechetica institutione* participationi in liturgia *consciae praeparentur* (cf. can. 836; 843, § 2; 851; 865; 889, § 2; 898; 913-914; 1063-1064; cf. etiam can. 777, nn. 1-2).

Participatio in liturgia est de cetero ius fundamentale omnium christifidelium (cf. can. 213)⁴⁴.

His praesuppositis, quid parochus facere debet? Duo — mihi videtur: curare ut celebratio liturgiae secundum praescripta auctoritatis vere digna evadat; allaborare ut omnes christifideles in celebrandis cultus caeremoniis conscii et actuosi sint; propterea ritus et preces bene explanare satagat.

b) *De frequenti accessu ad sacramenta Eucharistiae et paenitentiae* Codex — uti scimus — statuit *minimum* tamquam *obligatorium*: recipere sacram communionem semel saltem in anno, si possibile

⁴⁴ Cf. *Communicationes* 4 (1972) 52; 9 (1977) 323-339; 13 (1981) 233-245; 408-443; 15 (1983) 170-177; 189-202.

tempore paschali (can. 920); peccata gravia confiteri semel saltem in anno (can. 989).

Amplius Codex non dicit, a.v. exhortationem non dat quoad frequentiorem accessum ad sacramenta Eucharistiae et paenitentiae (cf. tamen can. 898, quoad Eucharistiam: «...et frequenter»). Etiam can. 918 est hortatio non ad communionem recipiendam, sed ad illam recipiendam intra celebrationem missae.

Duo, tamen, adiungere oportet, scilicet de prima communione atque de «viatico».

Quoad *primam communionem*, Codex clare statuit quam primum esse donandam pueris rationis usum assecutis (cf. can. 913-914). Et ideo parochus curare debet ut pueri rationem habentes debite receptioni praeparentur. Hanc parochus obligationem habet una cum parentibus et parentum vices gerentibus (cf. can. 913, § 1; 914; cur, tamen, hic sermo non fit de patrinis?). Cf. can 913, § 2 de pueris in periculo mortis.

Quoad «*viaticum*», Codex videtur quodammodo abundare in pastoralibus hortationibus (cf. can. 921-922) et etiam statuit qui habeat ius illud ad infirmos deferendi (cf. can. 911 et 530, n. 3).

In conexione cum hoc, sermo fieri potest de obligatione conferendi sacramentum *unctionis infirmorum* (cf. can. 1001; 1003, § 2; 530, n. 3)⁴⁵.

3) *Oratio in genere, etiam in familiis.*

«... annitatur item ut... (christifideles) ad orationem etiam in familiis peragendam ducantur...».

⁴⁵ Cf. *Communicationes* 9 (1977) 339-344; 10 (1978) 47-74; 13 (1981) 408-419; 15 (1983) 189-199; 202-216.

Si volumus nos referre ad aliquot locos Codicis, in quibus agitur de oratione, liceat sequentes citare, qui valere possunt saltem modo analogico, etiam pro oratione laicorum: can. 246; 276, § 2; 839; 937; 944; 1173-1175; 1186-1190. Ibi dantur specimina orationis pro christifidelibus. Ex quibus quaedam elenchari possunt: lectio - meditatio verbi Dei et oratio mentalis (cf. can. 276, § 2, n. 2); oratio coram SS. Sacramento (cf. can. 937; 944); cultus Beatae Mariae Virginis, etiam per mariale rosarium (cf. can. 246, § 3; 276, § 2, n. 5; 1186); exercitia spiritualia (cf. can. 246, § 5; 276, § 2, n. 4). In memoriam revocemus — sicut diximus — celebrationem liturgiae horarum, ad quam etiam laici, «pro adiunctis, enixe invitantur» (cf. can. 1174, § 2)⁴⁶.

Quoad familiam et parentes, in memoriam revocare iuvat clara verba Codicis:

«In munere sanctificandi... peculiari modo... participant parentes vitam coniugalem spiritu christiano ducendo et educationem christianam filiorum procurando» (can. 835, § 4).

4) Moderatio et vigilantia super liturgiam.

«... in sacra liturgia, quam quidem, sub auctoritate Episcopi dioecesani, parochus in sua paroecia moderari debet et, ne abusus irrepant, invigilare tenetur».

Ante omnia in memoriam revocemus:

«Sacrae liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet...» (can. 838, § 1), *«Ad Episcopum dioecesanum in Ecclesia sibi commissa pertinet, intra limites suae competentiae, normas de re liturgica dare, quibus omnes*

⁴⁶ Cf. *Communicationes* 13 (1981) 280; pro liturgia horarum, cf. *Communicationes* 15 (1983) 242-243.

tenentur» (can. 838, § 4; cf. §§ 2-3); «... unius supremæ Ecclesiæ auctoritatis est probare vel definire quæ ad... (sacramentorum) validitatem sunt requisita, atque eiusdem aliussve auctoritatis competentis, ad normam can. 838, §§ 3 et 4, est decernere quæ ad eorum celebrationem, administrationem et receptionem licitam necnon ad ordinem in eorum celebratione servandum spectant» (can. 841)⁴⁷.

His attentis, quid parochus debet facere?

«*Moderari*» — mihi videtur — significat substantialiter duo: ante omnia, ita agere ut actiones liturgicæ cohaereant cum normis ab auctoritate latis (ex. gr.: cf. quæ in libro IV statuatur de celebrationibus liturgiæ, præsertim sacramentorum, de personis, modis, tempore, loco; de libris, et ita porro); secundo loco, *aptare* normas liturgicas *concretis* paroeciæ adiunctis (ex. gr.: quoad horas celebrandi Missas, quoad modum actuosæ celebrationis, quoad tempora magis opportuna pro reliquis sacramentis, quoad personas quæ liturgiæ inservire deputentur, et ita porro).

«*Invigilare*» significat — sicut per se patet — attentionem ponere «ne abusus irrepant», idest ne quid agatur contra normas ab auctoritate statutas.

IV) *Parochus minister caritatis pastoralis* (can. 529, § 1).

«Officium pastoris sedulo ut adimpleat, parochus fideles suæ curæ commissos cognoscere satagat; ideo familias visitet, fidelium sollicitudines, angores et luctus præsertim participans eosque in Domino confortans necnon, si in quibusdam defecerint, prudenter corrigens; aegrotos, præsertim morti proximos, effusa caritate adiuvet, eos sollicitè sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendand-

⁴⁷ Cf. *Communicationes* 9 (1977) 323-339; 13 (1981) 280; 15 (1983) 170-177.

do; peculiari diligentia prosequatur pauperes, afflictos, solitarios, e patria exsules itemque peculiaribus difficultatibus gravatos; allaboret etiam ut coniuges et parentes ad officia propria implenda sustineantur et in familia vitae christianae incrementum foveat» (can. 529, § 1)⁴⁸.

Ex quo textu erui possunt puncta sequentia: 1) cognitio fidelium, participatio difficultatibus et prudens correctio; 2) cura aegrotorum; 3) peculiaris amor erga pauperes et in difficultatibus constitutos; 4) sollicitudo pro familiis.

1) *Cognitio fidelium, participatio difficultatibus et prudens correctio.*

«... parochus fideles suae curae commissos cognoscere satagat; ideo familias visitet... participans... confortans... corrigens...».

Iuxta Codicis verba citata, cognitio fidelium fit per medium visitationis familiarum et habet ut finem participationem difficultatibus et confortationem fidelium necnon prudentem correctionem eorum qui erraverunt.

Quod est verum. Tamen notare possumus: cognitio fidelium fit etiam aliis modis et habet etiam alios fines. Si prior affirmatio minima eget explicatione, quoad alteram, agnoscere oportet visionem Codicis, secundum quam parochus cognoscere debet fideles ad ipsorum sollicitudines participandas, paululum reductivam esse. Omnino, enim, liquet quod parochus suos fideles cognoscere debet etiam, et quidem praecipue, ad eorum vitam christianam profunde et mature

⁴⁸ Cf. *Communicationes* 8 (1976) 27; 9 (1977) 257; 13 (1981) 280-281; *Schema 1980* can. 468, § 1; *Communicationes* 14 (1982) 224.

efformandam: sicut antea vidimus, fideles debent duci ad propria charismata detegenda et ad ipsa in vita paroeciae pro bono communitalis actuanda. Quod est, certo certius, inter praecipua parochi officia, quippe ille est director vitae communitalis. Vide — de cetero — quod postea dicetur de agnitione et promotione missionis laicorum propriae (cf. can. 529, § 2).

2) Cura aegrotorum.

«... aegrotos, praesertim morti proximos, effusa caritate adiuvet, eos sollicite sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando...».

Peculiaris affectus pastoralis faciliter notari potest in illis verbis: «effusa caritate». Proinde cura aegrotorum debet esse unum ex praecipuis officiis boni pastoris.

Sacramenta quibus parochus reficere tenetur aegrotos, faciliter enumerari possunt: in casu simplicis aegroti, sacra communio eucharistica, cui praemittitur poenitentia (cf. can. 919, § 3, quoad dispensationem a ieiunio); in caso «periculose aegrotantis» (cf. can. 998; 1004) etiam unctio infirmorum; in casu infirmi morti proximi, sacra communio per modum Viatici (cf. can. 530, n. 3; 911; 921-922) et unctio infirmorum (cf. can. 530, n. 3; 998; 1001; 1003-1004).

Notari possunt multiplices locutiones, quae animum pastorem claro modo demonstrant: «sollicite» (cf. can. 529, § 1); «valde... suadetur» (cf. can. 921, § 2); «commendatur» (cf. can. 921, § 3); «ne nimium differatur»; «sedulo advigilent» (cf. can. 922)⁴⁹.

⁴⁹ Cf. *Communicationes* 14 (1982) 224, ubi adiunguntur verba: «aegrotos... commendando», dum in textu can. 468, § 1 *Schematis* 1980 habebamus solummodo: «... peculiari diligentia prosequatur pauperes et aegrotantes...».

Memorandum in fine est: pueris versantibus in periculo mortis sacra communio eucharistica ministrari quidem potest, etiamsi nondum ipsi pueri sacram communionem receperint, proindeque hoc in casu prima vice recipiant, dummodo «Corpus Christi a communi cibo discernere et communionem reverenter suscipere possint» (cf. can. 913, § 2)⁵⁰.

3) *Peculiaris amor erga pauperes et in difficultatibus constitutos.*

«... peculiari diligentia prosequatur pauperes, afflictos, solitarios, e patria exsules itemque peculiaribus difficultatibus gravatos...».

Pulchra haec Codicis verba peculiarem explicationem haud exigunt. Amor parochi erga egentes est evidenter sive ordinis spiritualis sive ordinis materialis. Quoad hoc ultimum, memorare debet parochus bona Ecclesiae finem habere, inter alios, opera caritatis, modo peculiari erga pauperes (cf. can. 1254, § 2). Etiam bona parochi personalia, quae illi obveniunt occasione sacri ministerii, quaeque supersint, ad opera caritatis impendi oportet (cf. can. 282, § 2). Hoc etiam efferri debet: servitium liturgicum, etiamsi conexam habeat aliquam oeconomicam retributionem, numquam denegetur illis qui, ratione paupertatis, parum vel nihil dare possunt (cf. can. 848, quoad sacramenta; 1181, quoad exequias ecclesiasticas).

Mirum est quod textus nihil dicat de senibus, qui non sunt necessario «afflicti» vel «solitarii» et tamen a parocho peculiari diligentia curari debent (cf. can. 1004), hoc etiam peculiari sensu quod senes qua tales

⁵⁰ Cf. referentias in notis 43 et 45 relatas.

debent promoveri in vita paroeciae ut illi conferant quod est proprium huius aetatis, seu huius conditionis.

4) *Sollicitudo pro familiis.*

«... allaboret etiam ut coniuges et parentes ad officia propria implenda sustineantur et in familia vitae christianae incrementum foveat».

Pluries Codex de coniugibus, parentibus, filiis et familia loquitur cum obligationibus et iuribus quae omnibus competunt. Videamus schematicè.

Inter obligationes laicorum fundamentales Codex hanc clare recenset: «Qui in statu coniugali vivunt, iuxta propriam vocationem, peculiari obligatione tenentur per matrimonium et familiam ad aedificationem populi Dei allaborandi» (can. 226, § 1).

Quae generalis obligatio pluribus concretis officiis atque conexis iuribus in Codice postea specificatur.

Coniugum obligationes reciprocae recensitae praesertim inveniuntur in can. 1055, § 1; 1057, § 2; 1063, nn. 3-4; 1096, § 1; 1134-1135; 1141; 1151-1155.

In impletione horum officiorum parochus adiuvet coniuges (cf. can. 768, § 2; 1063; 1128).

Parentum obligationes erga filios exprimuntur *generatim* sub nomine «*educationis*», vel «*educationis christianae*», vel «*educationis catholicae*», vel aliis adiectivis, praesertim in can. 226, § 2; 793, § 1; 795; 835, § 4; 868, § 1; 874; 892; 1136; 1366. In quo educationis munere implendo parentibus *scholae* auxilio sunt (cf. can. 793; 796-806). *Speciatim*, vero, educatio christiana habet *plures adspectus*, qui praesertim sunt: *catechesis verbo et exemplo* (cf. can. 774,

§ 2; 776 sub fine); pro filiis petitio *baptismi* (cf. can. 867, § 1; 868, § 1, n. 1; cf. can. 1366); praeparatio ad recipienda *alia sacramenta*, scilicet confirmationem (cf. can. 890) et Eucharistiam (cf. can. 914); actio vitae coniugalis et familiaris *in spiritu christiano* (cf. can. 835, § 4), *in communi oratione* (cf. can. 528, § 2) et *sensu paenitentiae* (cf. can. 1252).

In omnibus hisce educationis officiis parochus adiutorio parentibus inveniatur (cf. can. 528, § 2; 768, § 2; 794, § 2; 802; 851, n. 2; 874; 890; 893; 914; 1071, § 1, n. 6; 1128; 1252).

V) *Parochus minister communionis ecclesialis* (can. 529, § 2).

«Partem quam christifideles laici in missione Ecclesiae propriam habent, parochus agnoscat et promoveat, consociationes eorundem ad fines religionis fovendo. Cum proprio Episcopo et cum dioecesis presbyterio cooperetur, allaborans etiam ut fideles communionis paroecialis curam habeant, iidemque tum dioecesis tum Ecclesiae universae membra se sentiant operaque ad eandem communionem promovendam participant vel sustineant» (can. 529, § 2)⁵¹.

Puncta ex textu sequentia eruuntur: 1) agnitio et promotio activitatis propriae christifidelium laicorum; 2) favor erga eorum consociationes; 3) cooperatio parochi cum proprio Episcopo et dioecesis presbyterio; 4) promotio in christifidelibus spiritus communionis ecclesialis.

⁵¹ Cf. *Communicationes* 8 (1976) 27; 9 (1977) 257; 13 (1981) 280-281; *Schema* 1980 can. 468, § 2; *Communicationes* 14 (1982) 224.

1) *Agnitio et promotio activitatis propriae christifidelium laicorum.*

«Partem quam christifideles laici in missione Ecclesiae propriam habent, parochus agnoscat et promoveat...».

Facile est in memoriam revocare textus fundamentales de hac re, praesertim in can. 204; 208-231. Modo synthetico, christifideles «secundum propriam cuiusque condicionem, ad missionem exercendam vocantur, quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concredidit» (can. 204, § 1). Aliis verbis, titulares sunt missionis Ecclesiae, iuxta cuiusque vocationem et charismata.

Nunc bene notemus quod textus can. 529, § 2 optime effert: christifideles habent «partem *propriam*». Hoc duo videtur significare: haec pars est propria, in sensu quod est *nativa* proindeque *non delegata*; haec pars est propria, in sensu quod unusquisque habet *suam peculiarem*.

Quoad priorem affirmationem: pars est propria, nativa, non delegata, quia baptismo et confirmatione confertur (cf., ex. gr., can. 204, § 1; 225, § 1), nascitur cum baptismo, proindeque non delegatur, ex. gr. a parochus. Fideles exercent activitatem suam, non vero activitatem parochi. Hoc sensu, minus placet — nisi recte intellegatur — expressio contenta in can. 519: «... operam conferentibus christifidelibus laicis...», quia videretur laicos habere missionem «adiuvandi» activitatem parochi, qui haberet activitatem propriam quae actuaretur «cum auxilio» laicorum.

Quoad, vero, alteram affirmationem: pars laicorum est propria, quia unusquisque non habet totam missionem Ecclesiae, sed solummodo partem suam, ad quam quisque a Deo vocatur.

Quid tunc significat: parochus agnoscat et promoveat partem laicorum propriam? Mihi videtur duo sequentia, iuxta distinctionem de qua supra.

Parochus non faciat omnia, sed faciat ut laici expleant partem ipsorum propriam. Ut unum tantum exemplum afferamus: parochus non faciat omnes activitates catecheticas, sed faciat ut laici — vel etiam laici — faciant hanc activitatem (cf. can. 759; 774, § 1).

Parochus in singulis fidelibus *detegat*, vel singulos fideles *adiuvet* ut *in se detegant*, vocationem suam, idest suam missionis partem et hortetur vocatos ad missionem implendam, sustinens eos mediis aptis.

Uno verbo, parochus et fideles — sicut iam antea dicebamus — considerari deberent ad modum «orchestrae»: ibi director instrumenta musicalia minime sonat, quia musicantes instrumenta sonant; director musicantibus partem propriam docet et postea omnes dirigit, ita ut ex omnibus sonis fiat executio musicae.

Quod in nostro canone de parochia dicitur, identidem de omnibus clericis optime dicitur in can. 275, § 2.

2) *Favor erga consociationes laicorum.*

«... consociationes eorundem ad fines religionis fovendo».

Etiam hic facile est in memoriam revocare textus fundamentales de hac re, scilicet in can. 215; 224 («... in consociationibus coniuncti...»); 298-326; 327-329 (quoad, speciatim, laicorum consociationes).

Parochus, proinde, «fovere» debet has consociationes. «Fovere» significat — sine dubio — «favorem demonstrare». Parochus agnoscere debet legitimita-

tem et utilitatem consociationum. Hae non sunt contra paroeciam, seu in antithesi cum paroecia. Evidenter praesupponitur quod consociationes agnoscant paroeciam esse communitatem ecclesiam ipsi consociationibus superiorem, non contendant sese esse communitatem quasi substitutivam paroeciae et ideo sese referant paroeciae.

Tamen notamus: in verbo «fovere» contineri videtur aliquid amplius quam simplex «favor», idest aliquomodo «exhortatio», in hoc sensu quod parochus hortari deberet laicos ad his consociationibus adhaerendum. Hoc mihi excessivum videtur. Adhaesio enim consociationibus essentialiter libera est. Si, e contra, verbum «fovere» continet «exhortationem», adhaesio consociationibus quodammodo obligatoria configurari videtur. Verum est notam exhortationis quandoque inveniri in textibus de consociationibus (cf., ex. gr., can. 298, § 2; 327), sed hoc non potest auferre essentialem libertatem adhaesionis.

Insuper notari debet alius adspectus problematicus. Redactio textus stricte colligat: «Partem... agnoscat et promoveat» cum «consociationes... fovendo». Et ideo dicere videretur: medium agnoscendi et promovendi partem laicorum propriam est fovere eorum consociationes. Et ea de causa: laici exercent partem propriam in suis consociationibus. Hoc, tamen, esset falsum, si intellexeretur quod laici *solummodo* in consociationibus exercent partem propriam, quia esset essentialiter limitativum. Etenim laici exercent partem propriam non solum in consociationibus, sed directe in paroecia. Exercent partem propria etiamsi nulli consociationi suum dent nomen.

3) *Cooperatio parochi cum proprio Episcopo et dioecesis presbyterio.*

«Cum proprio Episcopo et cum dioecesis presbyterio cooperetur...».

Quod est valde genericum et valet pro omnibus clericis, immo pro omnibus christifidelibus⁵².

Tunc quaerendum est quid hoc significet specificè in casu parochi.

In memoriam faciliter revocare possumus duo praesupposita: paroecia est essentialiter pars Ecclesiae particularis (cf. can. 515, § 1; 516, § 1: «in Ecclesia particulari»); parochus est pastor essentialiter dependens ab Episcopo (cf. can. 515; 519: «sub auctoritate Episcopi dioecesani»).

In hoc sensu intellegitur cooperatio parochi cum Episcopo, paroeciae cum dioecesi: parochus et paroecia accipiunt ab Episcopo doctrinam et normas secundum quas agere oportet; sua vice, parochus et paroecia conferunt dioecesi, quia haec vivit et crescit secundum mensuram vitae paroeciarum. Nullatenus concipitur paroecia quae sit independens a dioecesi. Hac ratione, revocari potest imago adhibita a Vaticano II⁵³ paroeciae ut «cellulae»: haec non existit nisi sit de corpore; a corpore cellula accipit vitam et, sua vice, corpori confert vitam, ex eo quod corpus vivit et crescit ex cellulis⁵⁴.

De relatione parochi cum dioecesis presbyterio, res de se omnino patet. Iuxta doctrinam Vaticani II,

⁵² Cf. etiam can. 245, § 2; 275, § 1.

⁵³ *Apostolicam actuositatem* 10, 3.

⁵⁴ Cf. F. COCCOPALMERIO, *Il concetto di parrocchia*, cit. in nota 8, 64-67.

parochus memoret in Ecclesia particulari «presbyterium esse diversis quidem officiis mancipatum» (*Lumen gentium* 28, 2), proindeque se esse unum ex dioecesis presbyterio. De cetero coniunctio, affectiva et operativa, cum confratribus in presbyterio variis in locis a Codice effertur (cf. ex. gr. can. 275, § 1; 245, § 2).

4) *Promotio in christifidelibus spiritus communionis ecclesialis.*

«... allaborans etiam ut fideles communionis paroecialis curam habeant, iidemque tum dioecesis tum Ecclesiae universae membra se sentiant operaque ad eandem communionem promovendam participant vel sustineant».

Verba relata ex sese patent. Cura communionis actuari debet in triplici ambitu: paroeciae, dioecesis, Ecclesiae universae.

Revocari hic potest etiam textus fundamentalis de hac materia: «Christifideles obligatione adstringuntur, sua quoque ipsorum agendi ratione, ad communionem semper servandam cum Ecclesia. Magna cum diligentia officia adimpleant, quibus tenentur erga Ecclesiam tum universam, tum particularem ad quam, secundum iuris praescriptum, pertinent» (can. 209).

Ne obliviscantur insuper, parochus atque fideles, relationem communionis paroeciae cum vicariatu foraneo, cuius finalitas est communem actionem fovere plurium paroeciarum viciniorum (cf. can. 374, § 2; 555).

Hortatio ad communionem valet praesertim pro consociationibus christifidelium, in quibus adesse potest periculum aliqualis auto-sufficientiae, proindeque

deminutae relationis erga communitatem paroecialem et dioecesanam.

VI) *Parochus orans Deum pro populo sibi commissio*
(*de Missa pro populo*) (can. 534).

«§ 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione tenetur singulis diebus dominicis atque festis in sua dioecesi de praecepto Missam pro populo sibi commissio applicandi; qui vero ab hac celebratione legitime impediatur iisdem diebus per alium aut aliis diebus per se ipse applicet.

§ 2. Parochus, qui plurium paroeciarum curam habet, diebus de quibus in § 1, unam tantum Missam pro universo sibi commissio populo applicare tenetur.

§ 3. Parochus qui obligationi de qua in §§ 1 et 2 non satisfecerit, quam primum pro populo tot Missas applicet, quot omiserit» (can. 534)⁵⁵.

Textus explicatione haud eget. Breviter, tamen, quaedam notentur.

1) Statuitio Codicis satis effert apostolatam parochi et vitam Ecclesiae praesertim a Domino pendere, proindeque necesse est ut, una cum actione de qua in canonibus praecedentibus, parochus gratiam a Deo impetret, quia nihil omnino valet qui laborat nisi Deus vitam conferat (cf. 1 Cor. 5-7). Et gratiam Dei praesertim Missa obtineri oportet. Expressio, tamen, Codicis «pro populo sibi commissio» intellegi debet «pro tota communitate», aliis verbis etiam pro parochi, qui plus forsitan quam ceteri gratia indiget Salvatoris.

⁵⁵ Cf. *Communicationes* 8 (1976) 27-28; 31; 13 (1981) 284-285; 292-293; *Schema* 1980 can. 473; 482, § 2, n. 2. Similis obligatio statuitur a Codice pro Episcopis dioecesanis in can. 386 (cf. *Communicationes* 12 [1980] 299; *Schema* 1980 can. 355).

2) Celebratio et applicatio Missae pro populo diebus dominicis et festis in dioecesi de praecepto fieri debet normaliter illis diebus et ab ipso paracho; in casu in quo parochus legitime impeditus sit, tunc Missa celebratur et applicatur statutis diebus per alium sacerdotem, vel alia die per ipsum parochum⁵⁶.

Codex praeteritus statuebat: «Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali...» (can. 466, § 4). Hoc nunc implicite intellegitur, sed non aplius explicite dicitur. Celebratio in ecclesia paroeciali hoc habet positivum: ipsa communitas celebrationi participat et pro se orat. De hac applicatione communitas paroecialis notitiam habere deberet, ut eius participatio plenior fieri possit⁵⁷.

3) Obligatio haec — ut sic dicamus — non praescribitur: parochus qui obligationi non satisfecerit, modis supra indicatis, debet quam primum applicare pro populo tot Missas quot omiserit.

4) Codex dat normas etiam pro coetu sacerdotum in can. 543, § 2, n. 2 et statuit, sicut Codex praecedens, ut in casu plurium communitatum, eidem vel eisdem pastoribus commissarum, obligatio datur unam solummodo Missam applicandi.

⁵⁶ In Codice praecedenti praevalentia dabatur diebus statutis (cf. can. 466, § 3; 339, § 4). Hoc etiam quodammodo indicatur in Codice novo («iisdem diebus per alium *aut* aliis diebus per se») per illam *successionem* possibilitatum, sed interpretari possumus duas illas possibilitates tamquam indifferentes (aut... aut).

⁵⁷ Codex 1917 statuebat: «Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia» (can. 466, § 5). Proinde Missa, celebrata per alium, celebrabatur *in paroecia*. Formula «per alium» sine determinatione loci celebrationis adhibebatur pro Episcopo (can. 339, § 4) et hoc intellegitur, quia communitas, pro qua celebratur, non tota adest in cathedrali.

5) Administrator paroecialis, quippe qui «iisdem adstringitur officiis... ac parochus» (can. 540, § 1), obligationem habet Missam pro populo applicandi⁵⁸, «nisi ab Episcopo dioecesano aliter statuatur» (*ibid.*).

Vicarius paroecialis, e contra, hanc obligationem non habet (can. 548, § 2; 549)⁵⁹.

* * *

Sermo de parcho eiusque ministerio compleri deberet analysi can. 517, § 1; 530; 532-533; 535; 536-537; 542-544. Cum, vero, de his argumentis iam egerimus his in Ephemeridibus⁶⁰, ad illa quae diximus lectorem remittimus.

FRANCESCO COCCOPALMERIO

⁵⁸ Cf. A. VERMEERSCH-I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, 3 voll., Mechliniae-Romae, 1954-1963, I (1963), 452, n. 553.

⁵⁹ In *Codice 1917*, parcho absente ultra hebdomadam, vicarius substitutus (can. 466, § 4-5) erat ille sacerdos qui in paroecia, loco parochi et ex eius conducto, Missam pro populo applicabat (can. 466, § 5) (cf. A. VERMEERSCH-I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, cit. in nota 58, 452, n. 553).

⁶⁰ Cf. *Periodica* 73 (1984) 387-393; 397-406; 76 (1987) 67-82; 77 (1988) 262-280.